



## Acerca de este libro

Esta es una copia digital de un libro que, durante generaciones, se ha conservado en las estanterías de una biblioteca, hasta que Google ha decidido escanearlo como parte de un proyecto que pretende que sea posible descubrir en línea libros de todo el mundo.

Ha sobrevivido tantos años como para que los derechos de autor hayan expirado y el libro pase a ser de dominio público. El que un libro sea de dominio público significa que nunca ha estado protegido por derechos de autor, o bien que el período legal de estos derechos ya ha expirado. Es posible que una misma obra sea de dominio público en unos países y, sin embargo, no lo sea en otros. Los libros de dominio público son nuestras puertas hacia el pasado, suponen un patrimonio histórico, cultural y de conocimientos que, a menudo, resulta difícil de descubrir.

Todas las anotaciones, marcas y otras señales en los márgenes que estén presentes en el volumen original aparecerán también en este archivo como testimonio del largo viaje que el libro ha recorrido desde el editor hasta la biblioteca y, finalmente, hasta usted.

## Normas de uso

Google se enorgullece de poder colaborar con distintas bibliotecas para digitalizar los materiales de dominio público a fin de hacerlos accesibles a todo el mundo. Los libros de dominio público son patrimonio de todos, nosotros somos sus humildes guardianes. No obstante, se trata de un trabajo caro. Por este motivo, y para poder ofrecer este recurso, hemos tomado medidas para evitar que se produzca un abuso por parte de terceros con fines comerciales, y hemos incluido restricciones técnicas sobre las solicitudes automatizadas.

Asimismo, le pedimos que:

- + *Haga un uso exclusivamente no comercial de estos archivos* Hemos diseñado la Búsqueda de libros de Google para el uso de particulares; como tal, le pedimos que utilice estos archivos con fines personales, y no comerciales.
- + *No envíe solicitudes automatizadas* Por favor, no envíe solicitudes automatizadas de ningún tipo al sistema de Google. Si está llevando a cabo una investigación sobre traducción automática, reconocimiento óptico de caracteres u otros campos para los que resulte útil disfrutar de acceso a una gran cantidad de texto, por favor, envíenos un mensaje. Fomentamos el uso de materiales de dominio público con estos propósitos y seguro que podremos ayudarle.
- + *Conserve la atribución* La filigrana de Google que verá en todos los archivos es fundamental para informar a los usuarios sobre este proyecto y ayudarles a encontrar materiales adicionales en la Búsqueda de libros de Google. Por favor, no la elimine.
- + *Manténgase siempre dentro de la legalidad* Sea cual sea el uso que haga de estos materiales, recuerde que es responsable de asegurarse de que todo lo que hace es legal. No dé por sentado que, por el hecho de que una obra se considere de dominio público para los usuarios de los Estados Unidos, lo será también para los usuarios de otros países. La legislación sobre derechos de autor varía de un país a otro, y no podemos facilitar información sobre si está permitido un uso específico de algún libro. Por favor, no suponga que la aparición de un libro en nuestro programa significa que se puede utilizar de igual manera en todo el mundo. La responsabilidad ante la infracción de los derechos de autor puede ser muy grave.

## Acerca de la Búsqueda de libros de Google

El objetivo de Google consiste en organizar información procedente de todo el mundo y hacerla accesible y útil de forma universal. El programa de Búsqueda de libros de Google ayuda a los lectores a descubrir los libros de todo el mundo a la vez que ayuda a autores y editores a llegar a nuevas audiencias. Podrá realizar búsquedas en el texto completo de este libro en la web, en la página <http://books.google.com>



Feb 16









D. CHRIST. HENR. BREVNING

PROFESS. PVBL. ORD. IVR. NAT. ET GENT.

ET SOCIET. LITER. DVISBURG.

SOCII

DELINEATIO  
PHILOSOPHIAE IVSTI

SEV

IVRIS  
NATVRAE

ET

GENTIVM

ACCESSIT

INAUGVRALIS

DISCVRSSVS

DE IVSTITIAE

NEGOTIIS

LIBERARVM GENTIVM.



---

L I P S I A E

APVD CHRIST. FRIDER. RVMPE


M DCCCLXVIII.



2012

SAVING

THE



V I R O  
I L L V S T R I  
A M P L I S S I M O  
**CHRISTOPHORO**  
**HENRICO BRAVN**  
S E R E N I S S I M I P R I N C I P I S  
M A R C H I O N I S B R A N D E N B V R G O -  
C V L M B A C E N S I S  
A C O N S I L I I S R E G I M I N I S  
S I M V L Q V E  
A S E C R E T I O R I B V S S E C R E T A R I O  
**FAVORI OPTVMO**

D. D. D.



VIR ILLVSTRIS

AMPLISSIME

FAVOR OPTVME

**S**umma sane cum voluptate illorum recordor temporum, quo TE, VIR ILLVSTRIS non tantum inter eos diligebam, qui mea qualicunque doctrina utebantur, verum quo arctiori amoris atque amicitiae vinculo conjuncti familiariter vivebamus. Neque absentia, neque TVORVM mune-

munerum grauitas haecenus hunc TVVM in me Fauorem plane fingularem imminuit, imo potius confirmauit; vnde factum, vt TVI amoris in me tot haecenus documenta perceperim, quot vix expectare poteram. Noli ergo mirari, me auide expectasse occasionem, eamque arripuisse lubentissime, quo TIBI meam obseruantiam meumque in TE animum publice ostendere atque declarare potuerim. En ergo causam, cur exiguum huncce libellum TVO nomini dicauerim. Esto ille testis, quamuis exiguus, animi mei affectus, quo semper TE colui TEque veneratus fui. Accipe ergo eun-

eundem ea beneuoléntia, qua susceptum me ipsum futurum a TVO fauore sperarem. Seruabis vero mihi eum amorem TVVM, quem tanti facio tantique aestimo, certe persuasus, me in TE colendo venerandoque nunquam desisturum, qui sum

**ILLVSTRIS TVI  
NOMINIS**

Dabam

Lipsiæ, d. X. Iun.

**CIDICCLXVIII.**

Obseruantissimus

**CHRISTIANVS HENR.  
BREVNING,**

**ICTVS.**



## PRAEFATIO.

**N**oli, LECTOR AEQVISSIME, taxare  
susceptum laborem, priusquam ra-  
tiones meas audiueris, quae ad eum  
suscipiendum me impulerunt. In tanta Com-  
pendiorum, in quibus principia naturalis iu-  
ris traduntur, copia, nunquam cumulo il-  
lo nouum addidissem compendium, nisi prope  
necessitate aliqua compulsus fuisset. A quo  
tempore in Lipsiensi Academia iura docui, nul-  
lo magis delectabar studio, quam quod diuina  
illa prudentia legum naturalium absoluitur.

Haud

## PRAEFATIO.

*Haud interrupta annorum serie iura, quae per rationem diuina illa maiestas homini promulgauit, quibusque gentes liberae inter se utuntur, docui. Sed cum eligendum esset compendium aliquod, quo facilius haecce doctrina traderetur, traditaque apprehenderetur, inter omnia et ad studii accuratioris et strictioris cultum, et ad temporis, intra quod absolui haec disciplina debet, nullum aptius videbatur eo, quod quondam EPHRAIM GERHARD Vir in hac doctrina egregie doctus Latinae ediderat. Hoc sane in docendo usus fuissim, vel quod accurate iustum ab honesto atque decoro seiungit, vel quod ea sequebatur principia, quae sequuntur, qui veram huius studii notionem habent, quaeque ipse, quod mihi videbantur verissima, semper secutus fuis. At impediabar, quo minus hocce consilium exsequerer, quod vix unum alterumque exemplar extaret, quo uti potuissent ii, qui me audire*



## PRAEFATIO.

dire constituerant. Quapropter rogatu Auditorum ipsemet brevissimam huius doctrinae delineationem in chartas coniectam cum Auditoribus communicabam, atque ad ductum huius delineationis haecenus per octodecim et quod excurrit annos naturalem illam iurisprudentiam edocui. Sed ut fieri solet, cum toties totiesque ipsa delineatio describeretur, et haud raro in manus imperitorum librariorum incideret, factum est, ut cum quaedam exemplaria in manus inciderent, egomet sententias in iis ipsis deprehenderem, quae et nunquam mihi in mentem venerant, et quas ne somnians quidem habueram. Putabam, facile fieri posse, ut et confunderentur alia legentes, alia audientes auditores, et demum mihi tribuerentur, quae vitio describentium deprauata erant. Nulla ergo alia via putabam haecce euitare posse incommoda, quam ne in insignem amplius veniret deformitatem haecce delineatio,

## PRAEFATIO.

*tio, si typis exscribi paterer. Permissi itaque ut exscriberetur, in quem finem, quantum fieri poterat, repetita praelectione instituta nonnulla adieci, quae adiecienda videbantur. Id saltem doleo gravissimum sphalmatum numerum in ipso adhuc existere libello, quod eo facilius contigit, cum ob aliorum laborum multitudinem ipsemet correctiorem revisionem suscipere haud potuerim. Quare necessarium videbatur, ne mihi ipsa tribuerentur sphalmata portentosa, ut errata libello adicerem, haud quidem omnia, nimius enim fuisset erratorum catalogus, sed gravissima tantum et plane intolerabilia. Rogandus itaque mihi es, LECTOR BENEVOLE, velis, priusquam legas, corrigenda notata pariter atque ea quae deprehenderis non notata aequissimo emendare animo, neque meae haec tribuere leuitati, qui forsitan laborum meorum perpetuitatem ignoras. Sed haec ab aequissimo quoquam expecto.*

## PRAEFATIO.

*iam ad ea, quae ipsum libellum spectant. Secutus sum ea principia, quae GVNDLINGIO, TREVERO, GERHARDO et nostra aetate Duvviris in Iurisprudencia naturali PVTTERO et ACHENWALLO placuerunt. Nec dubito fore, qui me reprehendant maxime, qui vel in Grotii verba iurarunt, vel qui omnia, siue sint perfectae, siue imperfectae obligationes, commiscant, omniaque, quae vel aliquo modo per rationis dictamen cognoscuntur, ad caput iustitiae naturalis referunt. Sed hi suo delectentur ingenio. Mihi nulla adest causa, qua defendam philosophum, qui a communi dicendi formula recedit, eaque, quae virtutis vitiique nomine compellantur, iusto iniustoque adscribere intendit. Discedendum putavi cum Gerhardo ab iis, qui theologiam et philosophiam moralem cum nostra disciplina confundunt vel saltem miscent, cum haec conjunctio usus fori maximopere repugnet. Non fuit  
ani-*

## PRAEFATIO.

*animus vniuersum doctrinarum moralium ambitum definire, sed ea tantum praecepta tradere, quae strictissime iusti iniustiae nomine compelli merentur. Non reprobō, quae virtutis sunt, quae internam mentis animique tranquillitatem stabiliunt atque confirmant; sed quod lege non praecipitur faciendum, vel prohibetur omittendum, id virtus suis praeceptis vel commendat vel reprobat, vel ipsa pietatis atque religionis ratio iubet aut faciendum aut omittendum. Cuius ergo doctrinae suae sunt limites theoreticōs obseruandi. Is ergo, qui factum aliquod a nota iniustitiae liberat, propterea non approbat factum, potest enim vel virtutibus contrarium esse, vel ipsis pietatis religionisque regulis minus conuenire, indeque omittendum esse. Et quis vnquam sufficere arbitrat, ut iusto viuat tantum homo, non aequè honeste, imo prouti religio inque DEVM summa pietas, quae primum et*

*prac-*

## PRAEFATIO.

praecipuum omnium officiorum et perfectorum  
et imperfectorum constituit officium, postulat.  
At propterea quaelibet haec officiorum separa-  
ta genera, separatis tractari poterunt disci-  
plinis, ut eo commodius non tantum distinguan-  
tur, verum sicut ad diuersos tendunt singulae  
doctrinae morales fines, distinctius etiam ap-  
plicentur. Haec me excusabunt ab eorum cri-  
minationibus, qui omnium disciplinarum mo-  
ralium confusum systema expectabant, qui  
contra nihil inueniunt, nisi quod cum strictis-  
sima iustitia tantum conspirat, et quod cum  
vera iusti iniustique notione conuenit. Ordinem,  
quem seruavi, ita constitui, ut quasi ele-  
menta contineat methodi, qua Institutiones Iu-  
stinianae compilatae, quantum scilicet doctri-  
na patiebatur. Sicuti enim Ius, quod discimus,  
ciuile collectum est ex praecipuis naturalibus,  
gentium atque ciuilibus, ut testatur Imperator  
IVSTINIANVS, ita haec ipsae leges natura-  
les

## PRAEFATIO.

*Ius prius ab iis apprehendendae, quae se studio iurisprudētiaē deuouent. Sperari itaque, me haud improbe facturum, si hanc iusti philosophiam ad eum ipsum ordinem componerem, primum quid de personarum iuribus natura doceat exponendo, dein, quae ius rerum vel ipsas res concernant, vel circa eas obligationes comprobent docendo, et tandem exhibendo media persequendi ius, quod nobis debetur, non tantum inter homines in libertate naturali existentes, sed etiam inter ipsas gentes liberas. Neque nisi plane a maleuolis propterea monendus eram, cum cuiusuis, qui docet, arbitrio relinquendum erit, quo ordine, quaque methodo credat se suo Auditori commodissime disciplinam traditurum. Tandem scribendi genus elegi, non quod ad mathematicas rationes expositum, sed leue et inuentum uicinis conueniens, qui primū ad philosophandi studium ueniant, et qui haud raro in scholis praeter aliqua logi-*

\*\*

ces

## PRAEFATIO.

*ces exigua praecepta in practica illa philosophia nihil didicerunt. Putavi semper in hoc laborum genere praecipuum debere esse finem, ut tantum ad eorum captum nos accommodemus, in quorum usum scribimus. Mea facio Gerhardi verba: scripsi in gratiam praelectionum mearum, sicque non Eruditis, non Viris, non Iudicibus: sed erudientis iisque iuuenibus et discendi studiosis. Haec ergo TE scire volui LECTOR BENEVOLE, quae forsitan ad me excusandum quidquam conferre poterunt, si ex mea me iudicas intentione, non ex tua voluntate, quam obligatoriam ignorant liberalia studia, quae dictatorem hactenus communem, qui sua voluntate tanquam lege aliqua alios obliget, haud agnoscunt. Aequam censuram, si erraui non formido, siue vituperet siue laudet, siue albo, siue nigro ornet asterisco, dummodo absint praecoeptae opinioniones, philantia*

## PRAEFATIO.

atque partium studium. Sane si iuste erroris arguor, grata agnosco mente discendi semper cupidus, sin iniuste, vel ex invidia, ut solet interdum, taxent, cum his mihi nullum erit negotium, quippe qui eruditorum nomine semper omnibus bonis indigni videbantur. Et quid facilius est, quam aliorum labores carpere, quum nondum constet, an rectius, an melius simus facturi. Vsu videtur comprobatum, vituperando aliorum labores sibi gloriolam parare, libere et studio omittendo, quid cuius scriptori boni insit, quasi officium censoris constitisset tantum in inferenda nota censoria, non aequè in laudandis iis, quae bene facta sunt. Et quoties demum vidimus, vituperari a Titio, quod Caius maximis effert laudibus. Fallit itaque censura saepius falso superstructa iudico. Quapropter quibus haud placeat labor meus, velim imo

rogo



## PRAEFATIO.

rogo, ut abiiciant, seponant ad ignem, et nescio, quorsum amplius damnent, me haec omnia non tangent: mihi solatio erit, si, quod haecenus feliciter euenit, amplius mihi contingat, ut iuuentuti literarum cupidissimae inserviam ei que erudiendo amplius profum. De reliquo nec laudibus urgeo, nec scriptas volo, nec reprehensiones aestimo, meae viuam conscientiae. Sic vale. Dabam Lipsiae d. VIII. Iunii MDCCCLXXIII.



PARS



# PARS GENERALIS.

---

## CAPVT I.

### DE HOMINE MORALI EIVSQUE ACTIONIBVS.

#### §. I.

**H**omo, qui est ens corpore et anima rationali, seu ea, quae cogitare, velle, intelligere et iudicare potest, constans, vel vt physicum ens, seu vt animal, vel ens morale consideratur. - Priori sensu agit ad leges motus naturalis, posteriori vero actiones pendent a voluntate per rationem determinata,

#### §. II.

Sunt itaque actiones humanae aliae *naturales*, quas agit homo, vt animal,  
A aliae

aliae *morales*, quae ab homine *moralis* peraguntur.

### §. III.

*Homo moralis* vero agit voluntate per intellectum vel determinata vel determinanda. Per intellectum scilicet cognoscit ipsam actionem et finem, ad quem agit, iudicium determinat, an actio ad finem, quem cognouerat, faciat, et inde facta determinatione oritur voluntas.

\*) Hinc patet, *iudicium* pendere ab *intellectu*, quam comprobavit sententiam PUFENDORF de *Offic. homin. et ciuis Lib. I. cap. I. §. IV.* IO. SCHMID. *Diss. de Iudicio ad Intellect. non ad volunt. pertinente.* TREVER. ad *Pufendorf. c. l.* neuiquam vero a *voluntate*, cui opinioni Cartesianorum ad stipulatur BARBEYRACIVS ad *Pufendorf. c. l.*

### §. IV.

Haec voluntas, quae determinari debet, libera sit necesse est, vt possit determinari. Dein cui deest facultas determinandi voluntatem per intellectum, is *moralis* dici nequit. Hinc *infantes*, *furiosi*, *mentecapti* hominibus *moralibus* accenseri nequeunt.

\*) De *infantibus* quaestio est, qua aetate incipiant homines fieri *morales*. Tempus certum

## DE HOMINE MOR. EIVSQ. ACT. §

rum lege naturali definitum haud esse posse, certum est. V. PUFENDORF. *de Offic. Homin. et Civ. Lib. I. cap. IX. §. II.* et TREVERVM et TITIVM *ad h. l.* Respicendum itaque ad actiones illorum. Simulac apparet infantes actiones peragere ad definitum aliquem finem, quem sibi posuere, tunc recte moralis in iis sese exhibet hominis natura. Quamvis vero contingere possit, ut in determinandis suis actionibus nec satis accurate finem constituent et eligant, nec convenientiam actionis cum fine conseruent; tamen natura moralis ei, qui infans fuerat, haud neganda, sed perficienda potius est.

### §. V.

*Actiones aliae sunt liberae aliae coactae. Illae actiones a solius voluntatis determinatione pendent per intellectum facta, hae vero ab externa aliqua causa producuntur.*

### §. VI.

Coactorum actionum *causa alia* adimit plane voluntatis determinationem, hasque tunc *inuitas* dicunt actiones, *alia* vero non omnem adimit voluntatis determinationem, hasque proprie *coactas* dicunt.

#### 4 PARS GENERAL. CAP. I.

\*) V. P. TREVER, *ad Pufend. de Off. H. et C.*  
L. I. c. I. §. 16. n. 2, et §. 24. n. 1.

##### §. VII.

Coactarum actionum causae aliae in vi et metu, aliae contra in lege quaerendae. Posterioris generis coactio tantum hypothetica est, quippe et actionum illarum ex legis necessitate producendarum contraria possibilis est, sed transgressa tantum lege.

##### §. VIII.

Aliae praeterea actiones morales vel committendo fiunt, vel omittendo, quae quidem magis *non actiones* dicendae.

##### §. IX.

Cum actiones morales ab homine producantur, tunc si quem autorem actionis alicuius moralis declaramus, imputamus eidem actionem. Imputare itaque nihil aliud est, quam declarare quempiam alicuius actionis moralis esse autorem.

##### §. X.

Quapropter actionum physicarum, quae a lege motus tantum pendent, cum in doctrinis moralibus nullus his concedatur locus, nulla quoque dabitur imputatio.

##### §. XI.

## §. XI.

Amplius actiones eae tantum imputantur, in quibus producendis libera concurrat voluntas. Quapropter eis qui libera destituuntur voluntate, nulla imputatur actio. Inde omnium coactarum quas inuitas diximus actionum nulla est imputatio. Contra aliquam imputationem in reliquis coactis actionibus esse, vel inde apparet, quod semper aliqua voluntatis in iis determinatio concurrat.

- \*) Ita saltem plerumque philosophantur Stoici, et ita sentire videtur mihi TREVERVS ad *Pufendorf, de O. H. et C. L. I. Cap. I. §. 24. n. 1.* At vero et ipse addit; *Ceterum cum de hominis imbecillitate et perturbatione, quae mali alicuius repraesentationem sequi solet, aperte constet, et subiectum cogens in culpa sit, quod homo in istam perturbationem incidat; in foro humano eiusmodi actiones plerumque non imputantur: in foro tamen divino non item.* Quodsi vero rem paululum accuratius respicimus, tamen aliqua dubitatio oritur. Fac quod exemplum excitavit TREVERVS, hominem mortis metu cogi ad DEVM detestandum. Cum summum primumque omnium moralium obligationum sit praeceptum *de Se conservando*, ne-
- A 3
- que

que cogenti ius quodquam competit, qui potius cogendo iniustam actionem committit, sponteque eligendo mortem non minus peccem contra voluntatem diuinam, quam detestando DEVM, arbitrarer magis in diiudicanda imputatione in foro diuino collisionis quoque rationem habendam. Praeterea nec detestari videtur DEVM, qui coactus detestatur; deest enim animi determinatio absoluta, quippe potius verba praefert, vt euitet mortem, cum quibus nullus animi motus internus coniunctus. Et tandem cum imputare sit, autorem declarare, is vero autor magis sit, qui voluntatem et iudicium cogendo declinauit, ad quem declinationem ius ipsi non comperebat, dubitari possit, an non huic potius ob iniustitiam primae actionis scilicet coactionis iniustae (quae enim iuste fit, de hac sermo non est) etiam actio alterius, quae ex coactione fiebat, imputari possit.

## §. XII.

Neque alienae actiones nobis imputari possunt, nisi in nobis fuerit potentia concurrenti ad factum tertii, nostraeque ad concurrendum voluntatis determinatio, imo vel ad concurrendum ius aut obligatio. Sic factum serui, si domini praecedat iussus, domino imputabitur.

## §. XIII.

§. XIII.

Actiones in somno vel in somnio perpetratae vix imputari possunt. Eas quidem, quibus voluntatis nostrae determinatio praecedit, imputabiles existimant. Sed tunc voluntatis determinatio causa est somnii, ut scilicet anima impressam sibi futuram actionem repraesentare inque corpus agere potuerit, non vero ipsius actionis causa est.

\*) cf. tamen THOMASII *Diff. de iure circa somnum et somnia.*

§. XIV.

Praeterea actiones in ebrietate commissae directo quidem imputari non possunt, si absque sua inebriatus sit culpa, at vero, si studio pararit sibi ebrietatem ea intentione, ut certam committeret actionem, haec commissa dein recte imputabitur.

§. XV.

Error ignorantiaque, si inuincibilis sit, seu quae nullo studio depelli poterat, nunquam imputari potest.

\*) Negant *Scholastici* excusare ignorantiam inuincibilem, quod sit effectus peccati originis. Sed cum peccatum originis ignoret philoso-



phia et magis in ea negetur ipsius peccati originis imputatio, recte dicimus eandem excusare. De hac sententia disputat BAYLE *Diction, Critic. T. III. v. Rimini not, a.*

### §. XVI.

Sicut actiones impossibiles natura tales omiffiuae; cum committi non possunt, nullam admittunt imputationem; ita nec eae, quae casu fiunt, cuiquam imputari possunt.

\*) Casum, quem nulla quidem humana prouidentia auertere potuit, tunc recte imputabimus, si alterius factum concurrat, ut vel profuerit vel nocuerit. Sic v. g. Equus commodatus iam triduo ante domino reddendus, non vero redditus, fulminis ictu perit. Imputabitur, non quod fulminis ictu perit, sed quod iusto non redditus fuerat tempore,

### §. XVII.

An iuris ignorantia in foro iuris naturalis excuset, an imputari possit, dubitant: et magis est eandem imputari posse, quam huius iuris facillima sit cognitio.

\*) Equidem TREVERVS ad *Pufend. L. I. c. I. §. 21. n. I.* inuincibilem iuris ignorantiam deprehendi in infante recens nato, arbitratur, quae imputari non posset. Sed cum infans inter homines morales ob defectum  
vius

vsus rationis aequae ac furiosus referri nequeat, non constituit exceptionem a regula.

CAPVT II.

DE EXISTENTIA ET NOTIONE  
IVRIS NATVRALIS.

§. I.

**D**eum tanquam sapientissimum ens non potuisse non creare humanum genus eique rationem concedere ad certos *fines*, ex notione Dei et doctrina de eo patet. Cum itaque in Deo fuerit necessitas vi summae suae sapientiae, agere ad fines, est quoque in eo facultas atque vis obligandi hominem creatum ad finem, ne agendo agat contra fines diuinas.

- \*) In fine vel finibus hominis creati variant. Vel enim, ut suam manifestaret sapientiam, potentiamque ens diuinum omnia creasse arbitrantur: sed nescio, quis ille iudex aptus sit, cui manifestaret DEVS suam gloriam. Sane homines non sunt, quippe et hi creati, ut per eos manifestaret, neque esse possunt, cum tam breuissima eorum sit cognitio, qui vix, punctum ineffabilis diuinae sapientiae cognoscendi capaces. Aliis felicitas ipsa humana, qui adeo omnia homi-

num causa efformata dicunt. Horrida arrogancia! Cum inexhausta sit infinitaque sapientia diuina, quae non in creatione tantum apparuit, imo adhuc in prouidentia apparet, infinitos habuisse creatorem fines non tantum in vniuerso creando orbe, verum etiam in genere humano, imo et in singulo homine vel ad se, vel ad alios, vel ad totum genus humanum, vel ad vniuersum orbem relato. Caeterum inanis mihi videtur disputatio, an quaestio de Deo in Iure Naturali instituenda? Ius enim semper exigit legislatorem. Non ergo dubitandum, si de existentia et obligatione Iuris Naturalis omnisque disciplinae moralis agitur, Dei existentiam eiusque cognitionem requiri. Atposito semel principio cognitionis proximo tractatio de Deo eiusque attributis et erga eum officiis Naturali Iure admiscenda non est, sed *Theologiae* vel *naturali* vel *reuelatae* relinquenda; vt recte monuit MULLERVS *im Rechte der Natur Cap. I.* Caeterum quid de sententia GROTHII in *Praefat. ad ius B. et P. §. XI.* statuendum, facile patet. Scribit: *Et haec quidem locum aliquem haberent, etiamsi daremus, quod sine summo scelere dari nequit, non esse Deum, aut non curari ab eo negotia humana.* Forsan aequiori ratione aliqua emendari potest communis verborum GROTHII interpretatio. Non enim credibile est, GROTHIVM statuisse:

se: posse esse ius naturae, posse illud obligare sine legislatore; sed potius poterat subintelligere obligatorium fore ius naturae, suamque vim seruaturum, quamuis quidam sint, qui vt impune agere iniuste possint negare velint DEVM. Fac mihi in tertio ius perfectum aliquod competere: an ideo amittam, quia illum negat legislatorem, cuius lege mihi competens ius perfectum statutum fuerat? Et non putauerim.

§. II.

Poterat autem homo, cum in eo libera voluntas esset, cum futura, et quae cum finibus diuinis conueniebant, ignoraret, agere contra fines creatoris. Necessesse itaque erat, vt ipsius DEVS agendi libertatem restringeret rationi eius insitis legibus, praeceptis atque regulis, ad quas obseruandas eundem quoque obligaret, ex quibus cognoscere et iudicare posset, quae ipsi ex suo libero arbitrio actiones eligendae suscipiendaeque non essent.

- \*) Male ergo plerique veterum, quorumque opinionem recosam apposuit WOLFFIUS *Vernünfftige Gedanken von der Menschen Thun und Lassen, Cap. I. §. 8.* qui fontem obligationis non ex notione Dei, sed ab utili petunt. Sic dilaberemur facillime

linie in Atheismum. v. TREVER, dissert.  
de *Systemate Morali Atheorum.*

## §. III.

Actiones vero hominum *aliae* se referunt ad Deum tantum, *aliae* concernunt externum statum; *aliae* faciunt ad internam animi felicitatem; *aliae* denique uti-  
lis tantum rationem habent. Priores pietatis doctrina seu Theologia naturali definiuntur. Alteras determinant leges naturales. Tertiae praeceptis moralibus reguntur. Quartas denique doctrina politica format.

## §. IV.

Necessarium itaque est, ut existat *Ius naturae*, ne ab hominibus actiones committantur, quae externum concernunt statum, quibus turbarentur creatoris fines.

\*) Mittimus hic reliquas disciplinas morales, scilicet *Theologiam naturalem practicam, ethicam et politicam*, in quibus facilis omnis est huius propositionis applicatio.

## §. V.

Ius consideratur tanquam complexus normarum a superiore praescriptarum, et promulgatarum, subditos ad obsequium obligans, ita, ut cuius subdito exinde

de

de nascatur hoc, vt praetendere perfecte a quouis subdito possit, actiones ad legis normam vel committi vel omitti.

\*) Legis et iuris obligatio duplici relatione quidem respicienda. Vna est, quae in idea maiestatis causam habet, altera, quae consubditos concernit. Sicut enim respublica nunquam cogitari potest inter maiestatem et vnum tantum subditum, sed societas fit, quanta etiam sit, necesse est, ita respectu legum non tantum obsequium exigit ipsa maiestas, verum illa, quae inter ciues ex communi coniunctione societatis existit obligatio, non minus postulat paritionem. Inde patet, qua ratione differat praeceptum a lege. Hoc semper socio tribuit ius perfectum, simul vt a quolibet socio pareatur, praeterquam quod obsequium praetendere possit maiestas, huic vero vt obsequatur, tantum maiestati competit ius. Hinc differentia summa inter *ius naturae et ethicam*. Sunt utique homines obligati ad parendum, respectu Dei tantum, qui voluit, vt felices sint obseruatis praeceptis ethices. Contra sunt et Deo et hominibus, quibus Deus ius simul concessit, obligati ad seruandas iustitiae leges. Prioris generis obligationem imperfectam, posterioris perfectam dicunt.

## §. VI.

## §. VI.

Naturae Ius est complexus normarum a Deo praescriptarum et promulgatarum vniuersum genus humanum ad obsequium obligans, ita, vt quilibet homo praetendere perfecte possit ab quouis homine actiones ad normam vel committi vel omitti.

## §. VII.

Omnis legis iurisque valor pendet ab promulgatione, per hanc enim innotescit legislatoris voluntas. Promulgatio autem est modus per quem alterius scientiae et cognitioni superioris voluntas, quam scire interest, innotescit.

## §. VIII.

Leges itaque naturales homini per dictamen rectae rationis innotescunt, hinc per rationem sunt promulgatae. Per dictamen vero rectae rationis cognoscimus, quoties ex veris adaequatis principiis iusto ordine reliqua principia concludimus, quae ideo vera sunt, cum ex veris praemissis concludantur.

- \*) Caue hominis corruptam rationem et deprauatam aduoces. Corrupta deprauataque est in eruendis mediis ad aeternam aliquam beati-

beatitatem consequendam, ad quem finem Diuina clementia medelam posuit rationi in manifestata per sanctos viros voluntate, sine qua manifestatione expressa haud vnquam genus humanum post hanc vitam felicitatem aeternam expectare potuisset. At in aliis corruptam esse, nemo sanus asserat, cum ad felicitatem in hac vita et tranquillitatem consequendam homini DEVS beneficium rationem dederit. Adest itaque in homine dictamen rectae rationis, quamuis interdum vel ex defectu cognitionis principiorum, vel ex neglectu errare possit homo in concluendo.

### §. IX.

Cum hominibus omnibus ratio a Deo data sit, promulgatum quoque omnibus hominibus hocce ius est. Consequimur: qui ob defectum rationis morales dici nequeunt, nec iis hoc ius promulgatum esse poterit, neque eorum actiones secundum leges iudicari poterunt.

### §. X.

Obligatio autem legum naturalium promulgatarum pendet a voluntate creatoris, qui cum ad fines creauit homines, et ne impediuntur fines, normas actionibus humanis moralibus per rationem promulgauit, potuit obligare et obligavit



vit homines ad parendum praescriptis normis.

### §. XI.

Cum omnes homines morales obligentur legibus naturalibus per dictamen rectae rationis promulgatis, obligati quoque sunt ad cognoscendas leges naturales, neque vero intermissa cognitio ab obligatione liberare potest.

\*) Sed quid? si falsa principia sequamur, sicque erronee leges habeamus, quae non sunt. Recte tamen hic error imputabitur. Cum enim DEVS voluerit, ut iuste viuant, cuiusvis media ad cognoscendas leges dedisse necesse est; hinc inuincibilis error non concurrit, sed ut recte mihi LOCKIUS *de intellectu human.* L. II. c. 28. §. 20. error causam habet, quod in cognoscendo ideae saepe coniungatur disiungendae, contra coniungendae iterum disiungantur.

### §. XII.

Lex obligat a tempore promulgationis, haec facta per dictamen rectae rationis, non ergo extitit ius Naturae ante hominem creatum, hinc aeternum dici nequit. Equidem in voluntate DEI extitisse non negamus quas voluit creato homini

homini leges, sed lex non est in sola voluntate nomothetae, nisi adsint parentes.

### §. XIII.

Legum vis est, praecipere et vetare. Scilicet facienda praecipit omittenda vetat. Ita et naturae lex. An et permittat. Alii affirmant, rectius alii negant. Cum enim legi inesse debet norma, ad quam actio necessario suscipienda; sequitur, si ex libero arbitrio actio suscipi potest, haec enim vis est permissionis, non potest adesse lex permissiua.

\* Permissiuarum legum defensores TITIVS ad *Pufendorf de O. H. et C. L. I. c. II. §. 2.* et BARBEYRACIUS ad *Pufend. Ius Nat. L. II. c. I.* extitere, obliti, in lege semper, ob rationem, cur detur, inesse debere libertatis agendi restrictionem. v. TREVER. ad *Pufend. d. O. H. et C. c. I.*

### §. XIV.

Tandem, an *Ius Naturae* idem sit cum *positiuo vniuersali*, quod sibi efformarunt docti homines, quaeritur. Defendunt plurimi Iuris *positiui vniuersalis* existentiam, rectius vero cum THOMASIO negat TREVERVS. Sed, si vniuersale esset, quod iactitant, cum per dictamen rationis humanae rectae non cognoscitur,

B

po-

potius singularis manifestatio per sanctos viros facta, non potest idem esse cum iure naturali.

\*) At vero solent multi, qui de Iure Naturali laborarunt, in examinandis his legibus cuncta ad diuinam reuelatam voluntatem emetiri, sic que haud raro theologiam prope omnem reuelatam iuri immiscent naturae. Sed concedo quidem nunquam iure naturali aliquid vel praeceptum esse posse, vel prohibitum, cuius contrarium, statutum legibus diuinis scriptis. Tamen contingere potest, vt actio quaedam iure naturali prohibita non sit, quae diuina reuelatione interdicta. Sicut autem inde antinominae non extabunt, ita hanc puto causam. Actiones hominum se ad fines referunt: Relatione ad fines diuersos probanda mox erit actio, quatenus ad finem facit, vel certum finem non impedit, mox improbanda, si alii fini contrarietur. Sic fieri potest, vt actio quaedam non obsit conseruationi pacis externae et tranquillitatis, de cuius conseruatione datae naturales leges; sic lex aliqua in iure naturali adesse nequit, quae prohibeat actionem, potius ratio humanae agentis arbitrio relinquit. At si actionem cum mediis compares, per quae aeterna felicitas aliqua post hanc vitam consequi potest, quae non poterat ex ratione cognosci, ea ipsa actio, quam non prohibebat lex naturae, potest, interueniente reuelatione esse.

esse prohibita, cum contraria sit mediis ad beatitudinem aeternam consequendam expresse manifestatis.

CAPVT III.

DE FATIS IVRISPRVDENTIAE  
NATVRALIS.

§. I.

Ius naturae cognoscitur ex dictamine rectae rationis, haec vero cognitio duplici ratione perficitur, *naturaliter* scilicet, qua a quouis homine, etiam literarum imperito, id quod iustum quodue iniustum percipitur et diiudicatur, et *artificiose*, si ambitus legum ad ordinem actionum humanarum ex certo aliquo vero eadaequato principio per conclusiones deducitur. Haec posterior cognitio *iusprudentia* naturalis dicitur.

§. II.

Ius tum, quod natura docebat, veteres non minus cognouisse, quam recentiores, nemo dubitat, at cum veteres philosophi magis de emendandis hominum moribus et acquirendo summo bono solliciti essent, et vel falsas sibi formarent

notiones naturae legis, quam cum legibus motus naturalis confunderent, ut Stoici, vel iustum ea ratione, qua inter virtutes referenda considerent, hominemque iuste agere virtutis amore vellent, sicque ad morum doctrinam referrent, vix Systema naturalium legum formabant, imo vel Ictis iusti curam relinquebant, vel Philosophi ad rempublicam, cum in ea societate tranquilliores vitam quaerere iustum accommodabant, quod fecerat *Plato* quodue ipse *Cicero*.

## §. III.

Posteriori aetate inter Romanos praecipue Icti suis sparsim admiscebant doctrinis civilibus ea, quae natura docebat iura, at nec tum in artis formam efformata iuris naturalis prudentia.

## §. IV.

Dein cum philosophia in manus scholasticorum deuolueretur, qui suis delectabantur quisque iis, omnemque in catalogo barbararum vocum, inutilissimorum diuisionum, subdivisionum, abstractionumque quaerebant, sordibus quoque diuina illa iuris prudentia inquinata prope occulta latuit.

## §. V.

## §. V.

Tandem renatis humanioribus literis repurgataque philosophia primum quasi enata fuit iuris naturalis prudentia primusque extitit HVGGO GROTIUS, qui ad humanam vitam applicatam systemate quasi ornatam exhibuit hanc iurisprudentiam, liberisque gentibus quorum antea causae haud raro ex ciuilibus Romanorum praeceptis iudicabantur, meliorem philosophandi de naturali iure docuit rationem.

\*) HVGONEM GROTIUM systema iuris naturalis scripsisse adhuc dubitari posset, cum tot praecepta ethices doctrinae immiscuerit suae. Probabilior videtur opinio eorum, qui arbitrantur GROTIUM morales liberarum gentium actiones ex variis moralibus praeceptis diiudicare docuisse, neque semper ad iustitiam, sed et ad humanitatem respexisse. At quantus etiam est GROTIUS immortalis, caue tamen cum iis facias, qui infallibilem prope eum habent nihilque probant, nisi quod GROTIUS dixerat, qui non tantum errare potuit, sed et valde saepius errauit. Neque perfectum quid ab eo poterat expectari, qui primus artem docuit. Sat laudis GROTI O.

## §. VI.

Effecit sane studiorum suorum elegantia GROTIUS, vt quae de naturali iure scri-

scripserat, omnifere applausu acciperentur opusque immortale de Iure Belli et Pacis in varias transferretur linguas. Sicuti vero nouitas scientiae ad eadem studia tractanda incitaret plurimos, ita ipsemet GROTIVS varios nactus est aduersarios, quorum nonnulli ex theologia adeo dogmatica philosophiam GROTII examinarunt, contra scribentis intentionem. Neque defuere defensores GROTIIO, commentatores atque epitomatores.

§. VII.

Alter qui in exponendo iure naturali laborauit, fuit THOMAS HOBBS Malmesburiensis, a quo strictiora iuris naturalis principia a reliquis moralibus praeceptis separari didicimus. Sed cum prope omne innatum ius neget, praeterea in applicato naturali iure ad rempublicam machiauellistica sequatur principia suasque improbandas sententias contortis sacrorum textuum interpretationibus suffulciat, grauissimos nactus est contradictores inter quos eminet SCHARROCKIVS et CUMBERLAND.

§. VIII.

Neque omni laude priuandus est in hac disciplina IOANNES SELDENVS clausi  
maris

maris in suorum popularium gratiam defensor, quamvis in Iure naturae secundum doctrinam Ebraeorum non semper recta incedat via.

## §. IX.

Maiori vero accuratiorique studio tractavit ius naturale SAMVEL PVFENDORFIVS, et in Opere maiori *Ius Naturae et Gentium* inscripto et in Tractatu quem *de officio hominis et civis* scripsit, qui quamvis non elegantia dictionis, at ipsa philosophia GROTIUM superare videtur. Quantus vero ipsemet fuerat, tamen nescio, quo casu, aduersarios quam plurimos inactus est, ut et in patria aliquando PVFENDORFIVM sequi in docendo improbatum fuerit. Sed satis factum est in libello *Eris scandica* inscripto aduersariorum tunc calumniis.

## §. X.

Non minus vero comprobauerunt eruditi PVFENDORFII labores, quam GROTII, quare factum, ut notis, commentariisque ornarentur, imo a BARBEYRACIO aequae atque GROTIUS in linguam Gallofrancicam transferrentur.

## §. XI.

Sed quod nec PVFENDORFIVS semper accurate distingueret, quae iusti, quae



honesti essent, variaque principia commisceret, tandem extitit CHRISTIANVS THOMASIVS patriae suae immortale decus, qui comparatis priorum disciplinis cautius inter se disjungere iustum ab honesto, decoro et pio docuit. Et sane dolendum, systemate grandiori hancce doctrinam ab eodem elaboratam non esse.

## §. XII.

Mirum itaque non est, cum in Academiis antecessorum munera fundarentur ab nutritoribus, et eruditis conferrentur, qui hanc disciplinam traderent, ipsiusque disciplinae vberissima applicatio appareret, ut postea summi viri horum principum doctorum vestigia premerent, et vel integra opera, vel Commentaria vel Compendia, vel etiam opuscula de singularibus huius iuris quaestionibus ederent.

## §. XIII.

Caeterum sicut non est animus singulorum scripta et Opera recensere, ita et iudicium de iis suspendo, quod ferret tunc cuius facillimum erit, si huius doctrinae iustum ambitum rectosque limites peruide-

viderit. Exactius tamen fata enarrant  
 BVDAEVS LVDOVICI et GVND-  
 LING.

## CAPVT. IV.

DE COGNOSCENDI PRINCIPIIS  
 IVRIS NATVRALIS.

## §. I.

Cum promulgatio Iuris Naturalis per  
 dictamen rectae rationis fiat, recta  
 vero ratio ex *vero principio* aliquo veras  
 deducat conclusiones, sequitur Ius Natu-  
 rae cognosci non posse, nisi cognoscendi  
*principium* adsit, ex quo verae leges natu-  
 rales iusto ordine concludi possint.

## §. II.

Hoc vero principium duplex esse pot-  
 est, vel *remotum*, vel *proximum*, illud com-  
 mune est omnium doctrinarum mora-  
 lium, hoc iuri naturali tantum con-  
 ueniens.

\* Subordinatum ergo sit hoc *proximum axioma*  
 remoto principio, sicut et reliquarum di-  
 sciplinarum moralium prima principia eidem  
 primo remoto subordinata esse debent, quod  
 egregie monstrauit TREVERVS ad Pufen-  
 dorff de O. H. et C. L. I. C III. §. XI. n. 1.

## §. III.

Cum vero tot tantaeque eruditorum extent, opiniones de *proximo* illo cognoscendi principio; necesse est, vt illud sit *unum, verum, euidens et adaequatum.*

## §. IV.

Sunt qui in demonstranda hac disciplina plane nullum cognoscendi proximum sibi constituunt principium: hi vero formant conclusiones absque praemissa et carent fonte examinandi suarum conclusionum veritatem.

\*Referendus huc est GRIBNERVS in *princip. Iurisprud. Natural. Prolegom. Cap. IV.*

## §. XII.

## §. V.

Aliis contra *unum* non sufficit principium sed *plura* sibi formant, sed hi cum virtutem, pietatem et utilitatem cum iustitia commisceant uno quidem principio contenti esse non potuerunt, cum diversae illae obligationes ex eodem proximo principio deduci nequeant, plura sibi elegere principia, suis conclusionibus aptiora. Quare si ex eorum tractationibus Iuris Naturalis ea deleas, quae ex reliquis disciplinis moralibus, *Theologia naturali Ethica et Politica* admiscuere, vnicum tan-

tantum remanet principium, per quod *iustum* ab *iniusto* discernere poteris.

§. VI.

Debet ergo vnum esse principium, vt ea tantum per conclusiones ex eo deduci queant, quae ad iustum discernendum ab iniusto vere pertinent.

§. VII.

Dein cum ex falsis propositionibus falsae deducantur conclusiones, necessarium est, vt verum sit principium illud proximum, quo magis conuicti esse possimus de obligationum veritate, quas naturae leges homini imponunt.

§. VIII.

Praeterea cum omnes homines hoc Naturali Iure obligentur, omnesque illud cognoscere debeant, hoc ipsum cognoscendi principium proximum *euidens* esse debet, quo quiuvis etiam literarum imperitus illius veritatem sine vlla difficultate cognoscere et perspicere queat.

§. IX.

Tandem *adaequatum* esse debet, ne ex illo aliae sequantur veritates, quam quae ad iustitiam pertinent: Simulac enim ex illo proximo constituto principio aliae  
mo-

morales obligationes monstrari possint, et officiorum et disciplinarum confusio metuenda esset.

## §. X.

Creavit DEVS hominem ad certos fines, inque homine erat obligatio, ne quid ageret, quo vel creatoris fines turbaret, vel impediret. Ne ergo impediatur vel turbetur fines creatoris, absque dubio obligatus est: *ne suam destruat conseruationem propriam,*

\* Ex hac ergo *sepe conseruandi* obligatione tanquam primo omnium moralium disciplinarum remoto principio deducuntur argumenta contra *autochyriam*. adde TREVERVM ad *Pufend. de O. H. et C. L. I. c. V. §. 9. n. 1.* Caeterum hoc principium remotum agnoscit HOBBS de ciue.

## §. XI.

Sicut vero homine in eos fines, quos creator intendit, ius competere nequit, ita nec homo propriae suae conseruationi renunciare potest.

## §. XII.

Ne autem homo suam destruat conseruationem propriam, obligatus est ut ita agat *ne externam turbet pacem.* Haec prima proximaque lex est Iuris Naturalis.

\* Aliam

\*) Aliam viam huius principii I. N. proximi demonstrandi ingressus est TREVERVS ad *Pufend. de Off. H. et C. L. I. cap. III. §. XI. n. 1.* qui ex felicitatis ratione pacis externi cultum deducit, ad quam homo efformatus sit a creatore. Sed, quamvis non negem, hominem ob summam Dei perfectionem appetere debere felicitatem, eam tamen consequi non potest, nisi sese conseruauerit homo, putem hanc priorem esse obligationem, quae in conseruationis studio quaerenda, ex qua et iustitia, et virtute, et pietate, et vtilitate dein ad felicitatem veram veniet.

§. XIII.

Quae ergo moralis actio ita est comparata, vt externa ea turbetur securitas, ea iniusta est, contra vero, qua actione externa pax non turbatur, ea vtique iniusta dici nequit.

\*) *Negative* concepit legem primam Iuris Naturalis. Homo enim in agendo secundum creatoris intentionem liberum arbitrium habere debebat. Eligit ergo actiones, quas possibiles habet suo fini conformes, cum vero sic facile posset actiones eligere, quibus creatoris fines impedirentur, prohibendae erant certae actiones, ne illas eligeret homo, hinc *prohibitiva* debet esse prima lex. Inde Recte PUTTERVS in *Elem. Iur. Germ. Part. Theoret. §. 188. n. 1.* negat perfectam obligationem affirmatiuam primam, sed tantum nega-

negatiuam illam statuit: *neminem laede seu quod idem est ne externam turbes pacem.* Caeterum caue actiones, quae iniustae non sunt propterea statim licitas iudices. Potest enim actio aliqua externam non turbare pacem, et sic iniusta non esse, at potest internam animi tranquillitatem turbare, vel impia esse, inde illicitis actionibus adnumeranda, cum in homine sit interna aequalis obligatio, ut iuste, honeste et pie uiuat. Qui ergo iuste agit, non semper propterea pie et honeste agit. Probe itaque inuicem haec diuersa officia comparanda.

## §. XIV.

Quo euidentius uero et iustitiae conuenientius est hoc primum proximumque axioma, eo magis mirandum, quare tot tamque diuersissima a doctis hominibus excogitata sint prima cognoscendi principia; interdum a limitibus iustitiae naturalis alienissima, quorum bonam copiam exhibent *BVDDEVS in Histor. Iur. Nat. PROELEVS diff. de origine diuersor. iur. natural. princip.* et alii. Nos potiora tantum quaedam examinabimus.

## §. XV.

*COCCEII disp. de Principio Iur. nat. KESTNER in Iurisprud. nat. voluntatem Dei habent cognoscendi principium.* Sed  
quis

quis non videt, confudisse hos principium  
*essendi*, vt vocant, cum *principio cognoscen-*  
*di*. Neque tunc adaequatum erit princi-  
 pium, si ita concipiatur: *Quidquid conue-*  
*nit cum voluntate DEI, id faciendum, quid*  
*eidem contrarium, id intermittendum*. Vult  
 enim DEVS vt homo iuste, pie honeste-  
 que viuat, hinc minus adaequatum esset,  
 cum cuncta officiorum genera confundat.

§. XVI.

Haud raro in diiudicando iusto natu-  
 rali veteres *consensum Gentium* tanquam  
 cognoscendi principium agnouere, sed  
 hi ex factis ius deducunt, cum tamen fa-  
 cta ex iure potius diiudicanda.

\*) V. BAYLE *Tr. Pensées diuerses sur la Co-*  
*mete.*

§. XVII.

Valent. ALBERTI in *Compend. lur. nat.*  
*statum integritatis* primam demonstrandi  
 legem posuit. Sed, qui ita agit, vt in sta-  
 tu integritatis acturi fuissent homines, is  
 iuste non tantum, sed et honeste et pie  
 egisset. Sic non distinguuntur satis ac-  
 curate officia inter se diuersa.

\*) Ridicula est disceptatio de iure Nat. Paradi-  
 saeo, quem agitauit van der MVELEN *diff.*  
*de Orig. lur. Nat. Vlt. 684.* et MVSÆVS  
 qui



qui *vindicat* *Iur. Natur. Paradisæi* contra *van der MVELEN* negantem homines in statu integritatis legibus naturalibus vixisse, scripsit. Sententiam de hac lite fert *CHRIST. THOMASIVS* in *Iurisprud. diuina* p. 70.

## §. XVIII.

Neque defunt, qui *sanctitatem iustitiamque DEI* primum cognoscendi principium agnoscant, interquos *ROEHRENSÉE* de *fundament. Iur. Nat.* §. 7. et alii, sed perspicuitate caret, cum principium cognoscendi certum desideramus, et quod quid cum iustitia DEI conueniat, recte demonstret.

## §. XIX.

Dein, alii ex *instinctibus naturalibus* iustum veterum opinione nonnulli deduci posse arbitrantur. Sed hominem animal confundunt cum homine morali.

\*) ad. *CUMBERLAND* de *LL. natur* in *Profl.* §. 16.

## §. XX.

Alii vero ex *assimilatione DEI* vt *ZENTGRAVIUS* vel ex *sine naturæ humanæ* a qua sententia *TITIVS* in *Observ. ad Puffend. de O. H. et Civ.* vel ex *sine creati hominis*, vt *MULDNERVS* in *Disput. de princip. Iur. Nat.* vel ex *ordine mundi* vt *HENR.*

BODINVS et HOMBERGK. in *Hypomne-  
mat. Iur. Gent. Cap. I. §. 1. vel ex amore Dei  
et hominum* VTHE DINGERVS in *Conspect.  
Iur. Nat. Qu. 2. §. 13.* cunctas iuris natura-  
lis leges demonstrare audent, sed hi  
omnes omnium officiorum genera inter  
se commiscent.

§. XXI.

Neque satis adaequatum est *socialitatis*  
principium, quod PVFENDORFIVS  
agnoscit, multique approbant; is enim  
qui socialitatem culturus est, id non tan-  
tum iusti legibus seruatis efficiet, sed et  
praeceptis virtutis non minus, ac regulis  
utilitatis socialitatis finem promouebit.  
Nollem tamen iis vti argumentis ad re-  
futandum hocce principium, quo vtun-  
tur aduersarii PVFENDORFII.

§. XXII.

Multo minus satis conueniens lex natu-  
rae prima haec esse poterit, scil. *Quod statum  
reddit feliciorum, id faciendum, quod dete-  
riorem, fugiendum.* Sicut enim status no-  
ster non iustitia solum perfici potest, sed  
et virtutibus, ac obseruatis utilitatis re-  
gulis; ita sane vix vnquam actionum et  
vel iniustissimarum aliqua iniustitiae cul-

C

pan-

panda esset, dum modo statum agentis perficeret. Vix ergó fur, latro, vel alius iniuste ageret, ageret enim ad suum statum emendandum. Patet itaque illud ipsum principium nimis generale esse, ipsiusque utilitatis regulis magis superstructum.

### §. XXIII.

Porro vix egent refutatione, qui vno principio non contenti, tria vel plura sibi efformarunt, imo et ipsum Decalogum tanquam naturalis iuris principium agnoverunt. Sic male IOH. FRANC. BVD-DEVM concepisse haec tria praecepta: *Cole Deum, temperanter viue, socialiter age.* Manifesto patet, primum ad theologiam pertinere, temperantiam virtutibus annumerandam, et socialitatem reliquas morales obligationes confundere.

### §. XXIV.

Nec rectius, qui Iustinianum sequuntur atque ex his regulis: *suum cuique tribuere, honeste viuere, alterum non laedere.* Patet enim honeste viuere ex Stoa accessisse, quibus solum bonum quod honestum, imo virtutum praecepta complecti.


### §. XXV.

§. XXV.

Tandem nec desunt, qui *dictamen rectae rationis* principium primum constituunt. Sed hi confundunt medium promulgationis cum principio cognoscendi.

§. XXVI.

- Placet ergo, quo magis statui naturali conuenit, principium ne turbetur pax externa, in quo consentientes habemus EPHR. GERHARDVM, GVNDLINGIVM, TREVERVM, PVTTERVM et ACHENWALL. - Mitto aliorum praecepta adhuc minus naturali iustitiae conuenientia, quae facile ex supra dictis diiudicari poterunt.



---

# PARS SPECIALIS,

## SECTIO I.

CONTINENS

### TRACTATIONEM IVRIS NATURALIS.

---

## CAPVT I.

#### DE DIVISIONE HOMINVM EORVMQVE STATV ET INDE PENDENTIBVS IVRIBVS.

## §. I.

**C**um hominibus data sit naturae lex, ne pacem externam turbent, facile patet, pro diuerso statu cuius homo capax est, externam turbari posse pacem.

## §. II.

*Status* vero est certa qualitas, quae homini inest, vi cuius diuersis fruitur iuribus.

## §. III.

*Status* vero duplex est, vel ab ipsa natiuitate venit, vel ex accedente aliqua causa

sa oritur. Hinc alius status *naturalis* est, alius *aduentitius*.

\*) Male PUFENDORF de O. H. et C. L. l. c. III. §. 3. statui *sociali* opponit *naturalem*, sub quo solitudinis subintelligere videtur, quasi cessaret in socialitate *naturalis* status.

§. IV.

Status *naturalis* proprium in hoc versatur, ut inter omnes omnino homines perfecta sit *aequalitas*, quae, nisi consentientis, cuius interest, tolli et imminui haud debet.

§. V.

*Aequalitas* vero in hoc consistit, ut quod vni iustum, alteri iniustum esse nequeat neuterque alterius subsit imperio.

§. VI.

Cum neuter alterius subsit imperio, cuius suas actiones ipse dirigit; hinc in statu naturali perfecta est libertas. Qua propter, si cui in alterum competit imperium, hoc non est a natura, sed a superueniente causa alia.

§. VII.

Cum hominibus competat perfecta *aequalitas* et libertas in statu naturali, sequitur

cur, qualitates accessorias, vt pote diuitias scientias, artes, corporis robur hanc aequalitatem neque tollere neque iustam causam esse, vt alter in alterum imperium affectet.

§. VIII.

Qua propter cum in pace externa nemo turbandus sit, recte quilibet perfecto iure potest exigere, ne quis quid, quod aequalitati et libertati non conueniat, moliat, sic enim laederetur aliorum pax externa. Inde cuius vero etiam competit sese tueri in hoc aequalitatis libertatisque iure contra quemcunque turbantem.

§. IX.

Homines quidem natura distinguuntur in *masculos* et *feminas*, addunt *hermaphroditos*. Sed cum in statu naturali perfecta sit aequalitas, numquam masculis maiora prae feminis iura competere possunt, potius quidquid iustum est masculis, id aequae feminis iustum esse debet.

§. X.

Distinctio praeterea, quam ciuilia iuradant, in *natos* et *nascituros*, cum hoc ius per dictamen rectae rationis promulgatum sit, hoc vero in nascitu-

turo haud existat, in naturali jure attendi nequit.

§. XI.

Cum cuius homini aequalitas et libertas a natura sit, cuilibet etiam ius perfectum competat, necesse est, ut a quovis exigere possit, ut aequalis et liber habeatur. Qua propter, si quem in statu naturali me inferiorem et inaequalem reputem, quod *contemnere* dicunt, alterum in perfecto suo jure laedo.

\*) *Contentus* vel solo animo fieri potest, vel *sermone*, vel *factis* denique. Quod ad animo conceptum contemptum pertinet, cum nullum in jure naturali sit cogitationum tantum iudicium, frustra de hoc contemptu hic ageretur. De Sermone quatenus contemptus contra legem naturalem fieri possit, subtilis ratio est. Nam sicut non omnis declaratio, quae physicam rationem habet, ex qua alterum inaequalem pronuncio, contemptum continet. e. g. Si Titium, qui tantum homuncio est, me minorem, si infirmior viribus, infirmiorem declarem, contemptus esse nequit, ita hoc iudicium de altero tunc in contemptum degenerabit, si perfecta jura ob aequalitatem et libertatem competentia siue innata sint ut securitatis, siue adventitia ut pacto quaesita, negem.



## §. XII.

Contemptus vero varias habere potest causas, vel oritur ex defectu qualitatum accidentalium, vel ex factis contemti. Sed sicut qualitatum accidentalium in lege naturali nulla quaestio, ita demum contemptus orietur, si ob eorum defectum, iura perfecta alteri negem. Solum itaque meum iudicium de defectu qualitatum accidentalium in altero, quamvis verbis prolatum, contemptus non est.

## §. XIII.

Si ex contemti factis contemptus oriri debet, necesse erit, ut facta quae alteri imputem sint iniusta, ut iudicium meum causa esse possit, cur a me eidem perfecta negentur iura.

\*) Iudicium itaque de factis inhonestis et indecoris in ambitu Iuris Naturalis attendi nequit, quia ex legibus naturalibus non patet, illicitè eum egisse, qui inhoneste quive indecore agit, ergo hoc iudicium ex praecipis ethices magis iudicandum est.

## §. XIV.

Iniuste itaque tantum agam, si vel ex proprio vel ex alterius iudicio de defectu qualitatum accidentalium, vel factorum imputatione iura perfecta negem.

## §. XV.

§. XV.

Si ergo officia tantum humanitatis ex contentu negem, iniustitia a me committi nequit, bene vero inhumanitas.

- \*) Facile ex his iudicabitur, quid de officiis sermocinantium sentiendum, de quibus praeter alios WERNHER de offic. homin. circa sermon. et TITIVS de offic. sermocinantium. *Mendaciorum* a falsiloquio differentia non minus ex his patebit, ac quaestiones, quas de fama instituent, quae fama praeter facti iniusti imputationem magis ad ethicam et civilia instituta pertinet, quam ad naturalia iura.

§. XVI.

Quas vero alias hominum differentias adducunt quasque a natura petunt, e. g. ob aetatem, procreationem et alia, has commode examinabimus, si comparatis civilibus institutis, quid naturali iure conveniat, tradamus. Inde Parentes coniuges, tutores, seruos dominosque exhibent civilia instituta et leges; operae itaque pretium erit, quid harum personarum intuitu aeterna lex naturalis statuatur, ex primis illius cognoscendi fontibus iudicare.

## CAPVT II.

## DE MATRIMONIO.

## §. I.

**V**oluit creator, qui vtrumque *Sexum* creauerat, vt omnis generis animalium propagatio fieret, et quo id efficeret, *stimulum naturae* indidit, quo excitarentur animalia ad coitum peragendum, cuius ope illa propagatio fieri deberet. Et cum in homine animalis natura deprehendatur, illudque ad libidinem incitamentum; voluit creator, vt vterque fexus cum altero *coëat*, quo naturae ordine generis humani propagatio fieri possit.

## §. II.

Cum vero homini morali in hominem ius non competat, perfectaue inter omnes sit aequalitas, quae fexus diuersitate tolli nequit, fieri non potest, vt *femina* patiatur amplexus viriles, *virque* feminam amplectatur ad satisfaciendum stimulo naturae ad libidinem dato, nisi vtrique in idem placitum consentiant.

## §. III.

## §. III.

Sequitur inde, *matrimonium* nihil aliud esse posse, quam *conventionem maris et feminae de extinguenda libidine*, quo naturae ordini in propagando genere humano possit fieri satis.

- \*) Vehementer hunc impugnant finem, vel quod vagam commendaret et excusaret libidinem, vel quod cum diuinis literis non conueniret. Ad vtramque respondeo dubitationem. *Primam* quod attinet: Jus naturae virtutem non docet, sed ethica: hinc cum homo non tantum secundum iustitiam viuere tenetur, ita sane virtutum praecepta cauent, ne illicita fiat Venus, quae non minus sequi debemus, ac leges. Reliqua ordinat ciuitas. Nec arbitraret aduersari diuinis literis, vel quod in enucleanda quaestione de caelibatus studio priorum Christianorum Apostolus nihil dicat de obligatione generandi sobolem, sed de libidinis expletione per licitum modum. Ita enim PAVLVS I. Corinth. VII. 9. *Εἰ δὲ οὐκ ἀγκρατεύοντα, γαμησάτωσαι. Κεῖσσον γὰρ ἐστὶ γαμήσαι, ἢ πρὸςθεῖαι.* Et dato, non concesso, inde non sequeretur argumentum nostrae thesi contrarium, quippe poterat humana ratio ignorare voluntatem legislatoris, vt eidem necessaria visa fuerit singularis manifestatio.

## §. IV.

## §. IV.

Masculi itaque duo aequè minus ac duae feminae inter se *matrimonium* celebrare nequeunt, quamvis si de mutuo adiutorio praestando paciscantur, iniuste non agant.

\*) Hinc quod Iura Pontificia habent *matrimonium virgineum*, iniustum quidem non est, ac matrimonium rectè dici nequit.

## §. V.

An polygynia et polyandria permittatur, an prohibeatur naturali lege, gra- uiter disputatum est. Polygyniam improbant plurimi, sed non ex lege, comprobant alii, inter quos eminet PVFENDORFIVS. Arbitror distinguendum esse: si vir promiserit coniugi pacto, se cum ea sola concubiturum, iniusta erit Polygynia, quippe coniux laederetur in iure suo ex pacto quaesito; si vero haec non interuenerit adiecta pacto conditio, non turbatur cuiusquam pax externa, et rectè polygyniam non prohiberi adferunt.

\*) Non refutabo argumenta eorum, qui vel ex aequali masculorum et feminarum numero monogamiam probant. Ex hoc sequeretur potius argumentum, caelibatum esse iniu-

iniustum, cum nulla adsit lex matrimonium  
 praecipiens, quod vix quisquam concedet.  
 Nec brutorum exempla probant, quippe  
 philosophia non exemplis, sed argumentis  
 nititur. Imo si ita dicendum, polygynias  
 inter bruta non desunt argumenta. Nec  
 quidquam hic sacrarum literarum autoritas  
 efficit. Sicut enim quae ex nouo foedere  
 adferuntur argumenta, dubiae sunt interpre-  
 tationis, ita potuisset diuina voluntas aliquid  
 nolle, idque ne fiat, prohibere expressa ma-  
 nifestatione, cuius rei prohibitionem sola  
 ratio humana ignorabat. Non enim adferri  
 potest, praeceptam esse polygyniam iure na-  
 turali, sed tantum, non prohibitam. Caue  
 vero inde deducas principium reipublicae  
 noxium. Poterat autem ciuitas polygyniam  
 improbare, et saepius improbavit cf. TREVE-  
 RVM *ad Pufend. de Offic. H. et C. L. II.*  
*cap. II. §. v. n. 1.*

## §. VI.

Nec aliter comparatum est cum po-  
 lyandria, quippe ad pacti promissionem  
 respiciendum

- \*) Caue concludas, sic comprobari iure natu-  
 rali omnem *scortationem*. Nego hoc: non  
 prohibet saltem aut saltem ignorat legem,  
 quae prohibet *scortationem*, sed cum *scorta-*  
*tio* pugnet contra virtutem sc. *castitatem*, eius  
 prohibitio ex ipsa ethica petenda est. Hinc  
 nec

nec scortatio quidem ex lege naturali excusari potest. Robustiore hanc ethices prohibitionem reddit reuellata Dei voluntas.

## §. VII.

Ex praemissis patet, an *adulterium* iure naturae iniustum sit. Quodsi enim vel vxor viro, vel vir vxori fidem coniugalem monogamicam promiserit, non dubitandum, iniustitiam committi adulterio; sin tale quid promissum non sit, frustra disputamus in naturali iure de adulterio.

\*) Secus vero sentiendum, si diuinae reuellatae legis dispositionem consulimus. Non pugnat ergo lex naturae cum reuella-tione, quippe quae ignorabantur naturae lege eaque indecisa fuerant, restringit postea reuella-tio.

## §. VIII.

Neque dari potest iure nostro naturali differentia inter matrimonium et concubinatum, quippe ciuilia solennia hoc ab illo distinguunt, sed ciuitatum inuentum haec est distinctio.

## §. IX.

Cum matrimonii obligatio nitatur pacto, non potest hoc vinculum perpetuum et indissolubile dici. Sicuti enim natu-

naturali iure licet, pactitiam statuere obligationem ad tempus; ita eo minus hoc iniustum erit, nisi ad vitae tempus sese obligauerint matrimonium contrahentes: quo facto citra iniustitiam coniugem deserere atque expellere non licet, nisi laesio accedat, quae priorem obligationem tollat, vel communis coniugum dissensus intercedat; in tantum diuortia I. N. permessa sunt.

\*) Neque forsan haec aliena a Philosophia religionis Christianae, si textus recte explicentur.

### §. X.

Cessante vero potentia ad adimplendum finem, cessabit ipsum matrimonium, nisi simul de mutuo adiutorio pacti sint coniuges.

### §. XI.

Cum paciscantur mas et femina inter se, quaeritur: an consanguinitatis affinitatisque ratio prohibitionis causam det? Sunt, qui omnem prope apud Moïsem datam diuinam personarum prohibitionem iuris quoque naturalis esse adfirmant; Sed cum Iure Naturali homines morales considerentur quatenus sunt aequales,



quales, non quatenus sunt eiusdem familiae et cognationis, quae consideratio ex accidenti venit, magis est, ut negemus ex legibus naturae cognosci posse sanguinis et affinitatis prohibitionem aliquam, sed illam vel ex praeceptis ethices vel ex divina reuellatione esse petendam.

\*) De iuris naturalis graduum prohibitionem adeo regulam nobis exhibuit *Rintelens. KESTNERVS in Iur. Nat. Cap. IV. §. 21. Ait: Generalis inde regula est, quod inter eos, qui sunt in eadem familia nuptiae de I. N. esse nequeant, Natura enim prohibuit nuptias in eadem familia, ut eo sanctior et purior maneret familia, hinc ex providentia naturae vix et nisi ex summa libidine homines ad eorum concubitus videmus inflammari. Sed quae sancta illa et pura familia sit, et quomodo concludat: Natura prohibuit, ut sanctior et purior maneat familia, ignorete me fateor. Melior est in hanc causam Philosophia TREVERI. ad Pufend. de O. H. et C. c. I. §. VIII. n. 1.*

## §. XII.

Frustra autem quaereretur naturali iure, an *secundae nuptiae* prohibita. Neque de *sponsalibus* quidquam dicendum, quippe Simplicitas paciscentium de corporum coniunctione vix praeparatorio eget pacto: et quis sponsalium finis, cum praeter

ter consensum partium in iure naturali omnes ritus ceremoniaeque nuptiales ignorentur. Interim iniuste agere quemquam, qui feminae futurum promittit matrimonium, dici nequit.

\*) Quare *principes* qui utuntur conditione naturali, si matrimonium iunc inituri, plerumque per procuratores sponsalia celebrare solent; neque iniuste agunt. Causa in eo quaerenda, cum ad religionis ceremonias principes ritus receperint, quibus ciues necesse solent coniugiorum vincula, quod arbitrii est, non iuris. Possent solo pacto valide matrimonia celebrare monarchae, nisi pacta vel fundamentalia, vel alia superueniant, quae certos ritus determinarunt.

### §. XIII.

Cum tandem in iure naturali homines Matrimonia ineant, quae inter se perfecte sunt aequales; de potestate maritali, quam in quae pacto consensit vxor, frustra quaeris. Quae enim vulgo de maritali potestate traduntur, iuris civilis sunt, non naturalis. Cum enim pactum matrimoniale obligationem inducat ad adimplendum stimulum naturalem, neutiquam vero subiectionem aliquam; nunquam ex matrimonio viro in vxorem datur potestas.

D

\*) In-

\*) Inde sequitur, principem in matrimonium ducentem principissam aliam suo imperio non subiectam, sibi subditam non acquirere. At quid! Si subditam ducat? Vix arbitror matrimonio solo eam liberari a conditione subditae, nisi accedat pactum, quo nexus subiectionis remittitur.

## CAPVT III.

## DE IURE PARENTVM.

## §. I.

**N**aturae beneficio accedente carnis copula progeneratio animalium fit, quod et in homine deprehenditur. Ex generatione oriuntur *parentes et liberi*.

\*) Hinc recte IUSTINIANVS sobolis procreationem Iuri tribuit, quod natura omnia animalia docuit, seu instinctui naturali, quem sequuntur parentes.

## §. II.

Vinculum, quod ex generatione oritur inter parentes et liberos, *familiae ius* vocant, et cum, qui generati sunt, egeant *educatione*, parentibus hanc imponunt obligationem, et exinde *patriam* deducunt *potestatem*.

## §. III.

Haec ergo *patria potestas* prout fert communis opinio, consistit in obligatione  
ne

ne parentum *educandi alendique* liberos et iure actiones eorum *dirigendi*.

## §. IV.

Sed sicut Ius Naturale non considerat homines, quatenus inuicem generati, sed omnes quatenus sunt aequales, aequalibus vero in aequales imperium et ius competere non potest, ita impossibile est, vt hoc iure parentibus in liberos, qui aequaequales sunt, potestatem actiones liberas dirigendi competat.

## §. V.

Parentibus itaque Iure Naturali in liberos nulla competit *potestas patria*.

\*) Anne vero ita omnia officia radicitus evertantur? Non arbitrarer. Nam quamuis negem Ius Nat. dare parentibus potestatem, non tamen nego officia parentum in sobolem et sobolis officia parentibus debita. Possunt utique adesse officia et obligationes, dummodo ex suo fonte deducantur. Docet ethica hominem obligatum esse interne, non aequae externe ad benefaciendum ei eiusque promouendi felicitatem, qui eget alieno auxilio, quique ipsemet suam felicitatem et conseruationem curare non poterat. Liberi procreati antequam educati, in ea versantur conditione, vt aliorum auxilio et ope indigeant. Interne ergo parentes, qui existen-

tiae liberorum causa, sunt obligati ad eosdem educandos, conseruandos et quantum possunt actiones dirigendas ad liberorum felicitatem. Cum vero diuina prouidentia bene praeuidisset, hominem officia humanitatis atque virtutum, non semper adimpleturum, quo magis finem conseruandi generis humani obtineret, indidit homini *σοφῆν* naturalem, seu imperum amoris animalis in sobolem, per quem liberorum, qui iurium adhuc incapaces erant cognoscendorum, imbecillitati et infirmitati magis prospiceret.

\*\* ) De directione actionum, cum patria potestas iure naturali cessat, nihil est, quod dicamus. At caue propterea credas, nos obsequii officia reprobare liberosque ab his immunes pronunciare. Cum enim ex solis humanitatis officiis parentes liberis alimenta educationemque praestent, gratitudine summa haec parentum cura atque prouidentia amore naturali effecta atque reuerentia liberi compensent. Haec reuerentia, haec graditudo obsequium in rebus legibus praecipisque non contrariis producit. Sunt ergo interne ob beneficia a parentibus accepta liberi ad reuerentiam atque obsequium obligati. Neque aliter diuina lex, quae parentes reuereri iubet: i. e. praepcepta ethices noua autoritate confirmat. Sic si has parentum liberorumque obligationes ex ethicis praepceptis deducas, videtur patria

patria potestas dulciori vinculo niti, quam si vtrisque necessitatem absolutam cum vi coactiua ex lege naturali imponas. Non itaque, tollimus patriam potestatem, sed suis restituiamus praeceptis, v. quas olim edidimus *de Patria potestate Iuris Natural.* Tract. I. et II, in quibus consentientes simul allegauimus.

### §. VI.

Non itaque *iniuste* aget parens exponendo partum, qui iure nat. ad alendum educandum non est obligatus.

\*) At contra pietatis et humanitatis obligationes peccabit exponendo partum.

### §. VII.

An vero parens *occidendi ius* habeat, grauiter controuertunt. Sed distinctius quaestionem tractandam censeo. Si filius vel filia adultioris aetatis sint, ab iisque in suo iure perfecto laedatur parens, cum hostis fiat laedendo, dubium non est, I. N. quod ignorat familiae sanguinisque nexum, sed aequales omnes habet homines morales, filium vel filiam occidi posse tanquam hostem. Sed si de infante homine non morali quaestio: cum laesionis inferendae capax non sit, nunquam

quam parenti occidendi ius competere potest.

\*) At, quid? si de facto occiderit infantem. Cum infans nondum sit homo moralis, sicque nondum obiectum iuris naturalis, quaestio haec ex hoc iure decidi non potest. Sed impie et contra humanitatem agere tunc parentem, non est dubium, quippe peccat non tantum contra officium quod impositum per virtutem cuius homini, ut opem ferat illi, qui eget auxilio alieno ad suam conseruationem, verum et peccat contra DEVM destruendo sine causa creaturam, quam ad certos fines creauerat DEVS, quos impetit, occidendo infantem.

### §. VIII.

Neque parenti, ut parenti, ius vendendi liberos competere potest. Cum enim in iure naturali ignoretur patria potestas, frustra esset, ex hoc iure vendendi ius deducere.

\*) Si vero forsitan parens de facto infantem recens genitum vendat? Nullum de N. I. potest habere effectum, quippe cum in venditionem non consentire poterat infans, simulac usum rationis accipit, dissentiendo non potest subsistere venditio; sed iam homo moralis factus accipit iura libertatis et aequalitatis naturalis. Concludimus ergo, si filius cui iam usus rationis est, consentiat in vendenda-

ventionem, aliter tunc sentiendum. Caeterum si etiam de facto vendiderit parens infantem, non aget iniuste, quia ad alendum non erat obligatus, nec eripit vendendo eisdem aequalitatis libertatisque iura, si moralis factus dein homo. Inhoneste vero agere patrem et impie non dubito, maxime si citra necessitatem vendat partum.

§. IX.

De acquisitione per liberos, quatenus effectus patriae potestatis, nihil statuendum. Cessante enim causa, certe est, effectum quoque cessare debere.

\*) Ostendit plerumque experientia, tunc inter homines in civili societate viuentes acquiri per liberos, quo usque his alimenta a parentibus dantur. Conceditur acquisitio ex gratitudine in compensationem alimentorum et curae in educatione praestitae.

§. X.

Cum ergo ex ethica tantum deducendi sunt effectus et obligationes parentum et liberorum inuicem, patet inutilem esse quaestionem, an pater matrem excludat a patria potestate.

\*) Magis, quidquid inter omnes gentes de patria aliqua potestate dicitur, si a solis illis praeceptis ethices recedunt, a ciuilibus pendet institutis.



§. XI.

Cum tandem non existat I. N. patria potestas, exulat quoque in hoc iure omnis de emancipatione caeterisque patriam potestatem soluendi modis.

CAPVT. IV.

DE TUTELA.

§. I.

Contingit turbato mortalitatis ordine, ut parentes moriantur relictis post se liberis, qui sibi ipsis adhuc superesse non possunt, egentque educatione. Ne ergo et in educatione et in suis quas habent rebus detrimentum patiantur, *tutela* inuenta est inter homines. Iam vero videndum an lex naturae nobis *tutoris* officium imponat.

§. II.

*Tutela* est potestas, eos qui egent et educatione et defensione, et educandi et defendendi.

§. III.

Alium educare atque defendere a sola pendet humanitate; nisi pacto quis se se obligauerit ad educandum aut defendendum.

dendum. Sequitur inde, tutelam naturalis iuris esse non posse, sed internam obligationem ad benefaciendum alteri causam esse tutelae.

#### §. IV.

Cum vero interna obligatio per pactum externa fieri possit; non iniuste agit, qui pacto se obligat ad educandum tuendumque alterum.

\* ) Sed cum quo pactum ineundum? Non cum patre impuberis tuendi, quippe inter aequales ex pacto cum patre nec ius daretur tutori, nec obligatio pupillo, et vice versa. Paciscantur ergo, impubes, qui consentire potest, quod iam rationis usum obtinuit cum tutore. Infantes aliorum misericordiae et humanitati relinquendi. Neque is, qui infantis curam suscipit, cum eidem benefacit, iniuste agit.

#### §. V.

Cum per ius naturale nulla sit obligatio ad tutelam, nullaque legis praeceptio, neque de finienda tutela quidquam dispositum; sed si pacto ordinata fuit, videndum est ad causam, qua cessante, cessare debet tutela, nisi pacto certum tempus definitum sit.

## CAPVT V.

DE DOMINORVM ET SER-  
VORVM IVRE.

## §. I.

**C**um ex naturali iure omnes homines sint aequales, contra naturam est vt quis alterius dominio sit subiectus, qui quod aequae moralis, alteri aequalis est. Ignorat ergo hoc ius differentiam inter dominos et seruos, eorumque diuersa iura et obligationes.

\*) *Dominium* hic denotat ius nobis competens alterius actiones morales externas ad nostram voluntatem determinandi alterumque tanquam rem nostram considerandi. *Seruitus* itaque consistet in obligatione, vt patiatur actiones suas morales externas a Domino determinari seque pro re alterius haberi.

## §. II.

Cum itaque seruitus non sit a natura, absque dubio a superueniente aliqua pendet causa et videndum, an in statu seruitutis deprehendatur iniustitia absoluta, seu lex prohibitiua, quo minus serui fiant.

## §. III.

§. III.

Quia vero cuius ius competit sese, alteri obligandi pacto suaeque aequalitatis et libertatis iure renunciandi, sequitur, eum qui ad seruiendum pacto alteri se obligat, iniuste non agere. Non potest ergo adesse lex aliqua, quae seruitutem prohibeat.

§. IV.

Dein, cum ut infra demonstrabimus, hostem nostrum nos occidere possumus, liberum nobis erit, hosti deuicto eripere libertatem eumque seruum nostrum efficere.

\*) Maius enim est, *occidere* aliquem, quam *eripere* libertatem. Qui vero maius potest, poterit quoque minus.

§. V.

Potest vero seruitus duplicem habere causam absque iustitiae laesione, vel vim *victoriae*, vel vim *pacti*.

\*) Plura de occasionibus seruitutis introducendae exposuit TREVERVS *ad Puffend. de O. H. et C. Lib. II. cap. IV. §. 1.* qui et veteres *Peripateticos*, qui seruitutem quandam a natura intendi statuerunt, et PROELEVUM recte taxavit, qui lege sapienti in insipientem imperium competere affirmat.

s. VI.

## §. VI.

Cum a natura nulla sit seruitus, sequitur, seruos non nasci.

\*) V. BESACK. *diff. de Seruorum sobole libera.*

## §. VII.

Ius quod domino in seruum competit maxime in hoc consistit, ut a seruo operas in suam utilitatem exigere possit.

\*) Equidem in actionibus externis competit Domino ius imperandi, quas in suam fieri velit utilitatem necessitatem commoditatem. Caue vero et in iis actionibus, quae ab interna animi conscientia pendent. In his enim ob id, quod conscientia respuat imperium nulli cogitari possunt dominii effectus.

## §. VIII.

An seruo possit iniuria inferri a domino, dubium videtur. HOBBS *de Ciue C. VIII. §. 7.* negat. Contradicit PUFENDORF *in Jur. Nat. et Gent. L. VI. c. III. §. 2.* Laedi utique seruus potest a domino in iure conseruationis, et si pacto determinata sunt iura, in his quoque, imo si a seruo dominus exigit, ad quae exigenda illi vel non competit, vel competere non potest ius.

## §. IX.

## §. IX.

Servus, an *in commercio* sit, distinguendum arbitror. Si in venditionem consentit, nullum dubium est, at si dissentiat, non aequè, quippe si pacto mihi se addixit in servitutem, pactum cum tertio a me initum ius in servum aliquod transferre nequit: si vi victoriae quaesitus; vnde tertius non victor in servum, non consentientem, qui a tertio victus non est, victoriae effectus habeat?

\*) *Obicitur.* Effectus domini est, de re sua disponere libere. Quidni et dominus de servo disponat. *Repono.*: Servus serviendo non fit res l. N. Sed manet homo moralis erepta facultate libera, actiones ex sua voluntate producere. Neque velim ad usum gentium prouoces. Multa enim de facto fiunt, quae de iure aliter fieri deberent. Adde TREVERVM ad *Pufend. de Offic. H. & C. L. II. Cap. IV. § v. n. 1.*

## §. X.

Cum servo in *vitam* suam non competat ius propter obligationem sese conservandi, domino in servum per pactum factum; *ius vitae et necis* dari nequit.

## §. XI.

Neque hoc ius domino in eum concedi potest servum, qui vi victoriae servus  
fa-

factus est. Sicut enim ereptam habet libertatem loco satisfactionis victor, vltiori bello renunciat, ex quo amplius *ius in vitam* serui habere nequit.

## §. XII.

Simulac vero seruus vel contra pacta vel contra iura domini perfecta agit, de- nuo fit hostis, et tunc renascitur illud *ius vitae et necis*, quod ante ereptam libertatem in hostem postea seruum factum habuerat.

## §. XIII.

Seruus factus libertatem consequitur, si vel dominus iuri suo renunciet, vel moriatur, vel seruus iniuriam passus a domino, vel vi belli suppressus se in libertatem vindicauerit. Imo, si in pacto, quo quis se alteri seruum addixit, vel tempus vel conditio finiendae seruitutis posita, elapso tempore vel adimpleta conditione libertatem consequitur seruus.

\*) Caeterum videntur superstitione magis duci quam veritate, qui ex Rebuspublicis Christianorum eiciunt omnem seruitutem. v. *Baro de SCHROEDERN. Fürstl. Schatz- und Rent. Cammer. p. 205. HERTIVS ad Puffend. Jus Nat. et Gent. L. VI. Cap. III. §. X. n. a.*

CA-

## CAPVT. VI.

## DE IVRIBVS HOMINVM IN RES.

## §. I.

**C**um Deus voluerit, vt sese homines conseruent quo possint esse felices, voluit simul, vt si ad conseruationem et consequendam felicitatem necesse videatur, omnibus rebus creatis vtantur et abutantur. Competit ergo ad sui conseruationem et obtinendam felicitatem ius omnibus rebus vtendi abutendiuē.

\* ) In tantum adfirmari potest res hominum causa creatas esse. At vniuersaliter adfirmare, omnium hominum causa creata esse, summae foret arrogantiae, cum tot tantaeque sint res, quarum equidem cognitionem nec habemus nec habere possumus. Ius vero Naturae nihil ratione rerum amplius constituit, quam quod vsum abusumque permittat. Qua propter absurdum est in Iure Naturali de officiis iusti in reliquas res creatas differere, maxime de iniustitia brutis illata. Non nego peccare posse hominem in bruta resque alias creatas variis rationibus. Sed haec officia non causam habent in brutis et rebus reliquis creatis, sed in virtute hominis. *Temperantia* animique *continentia* haud permittit, vt abuntamur rebus creatis contra intentionem



tionem creatoris nostrique animi indolentiam turbemus. v. HARDT. *diff. de officio hominis circa res humanae sorte non comprehensas.*

## §. II.

Vsus atque abusus rerum praesupponit rei *possessionem*. Cum ergo homini competat ius utendi abutendique rebus, competat, quo possit uti abutique, etiam ius occupandi necesse est.

## §. III.

Cum vero nemo turbandus sit in suo iure perfecto, cauendum est, ne occupemus res iam ab alio possessas occupatasue.

## §. IV.

In iis itaque rebus, in quibus omnibus adhuc commune ius est, datur occupatio, qua peracta, res desinunt esse in *communione* illa *primaeva* et iam propriae fiunt.

\*) Primaeva illa rerum communio nihil aliud indicat, quam illud ius, quod omnibus hominibus competit, res adhuc nondum possessas aut occupatas sibi proprias efficiendi. Exinde facillime decidi potest, quid de controversia super primaeva illa communione mota sentiendum. Impugnauerat eandem ZIEGLERVS ad *Grotii Jus B. et P. L. II. Cap.*

Cap. II. §. 2. BOECLERVS ad Grot. eod. loc. OSIANDER ad Grotium cit loc. TITIVS ad Pufend. de O. H. et C. L. I. cap. XII. §. 2. Sed defendit THOMASIVS in Jurisprud. Div. L. I. Cap. X. §. 59. HEVMANN de Origin. Domin. et omnium optime TREVERVS ad Pufend c. 1. qui totam controuersiam ad Logomachiae rationes recte refert. Adde LOCK. sur le gouvernement Ciuil. L. II. cap. IV. Hoc ergo occupandi ius res nullius venit a natura, non vero, vt PVFENDORFII de Offic. H. et C. cit. loc. est opinio, ex conuentione.

§. V.

Haec *occupatio*, cum fit intentione vtendi abutendique, remque facit propriam, a cuius occupatione aliis abstinendum, producit ius excludendi alios ab vsu rei a me occupatae.

§. VI.

*Possessio* itaque consistit in effectu occupationis cum intentione vtendi abutendique re tanquam propria, ex qua possessione dein prouenit ius vere vtendi abutendi, aliosque ab occupatione possessione et vsu atque abusu excludendi, quod dominium dicitur.

\*) Facile hoc modo omnis prima dominii notio erui potest, imo nisi me omnia fallunt,

E

illa

illa Iuris Romani distinctio in *Dominium Quiritarium* et *Bonitarum* explicari. Definivimus *dominium*, pro vt ex suis deducitur primis notionibus: Superaddidit alia dein *civitas*, quae non admiscenda sunt, quoties in quaestionibus ex Iure Naturali decidendis versamur.

## §. VII.

Vsus et abusus, qui ex dominio in re mea mihi competit, pendet a voluntatis meae decreto. Haec facultas mihi competens dicitur *ius libere disponendi* de re mea. Est ergo effectus domini, vt de re propria libere disponere possim.

## §. VIII.

Cum de re propria libere disponere possim, possum vel iuri domini renunciare, quo denuo fit nullius, vel rem ipsam in alium transferre.

## §. IX.

Translatio in alterum rei meae vel fit cum omni iure, vel cum aliquo tantum, prouti conuenit. Si cum omni iure fit, *dominium* mihi competens transit in alterum.

\*) Inde patet distinctio *dominii* in *originarium* atque *deriuatum*. *Originarium* erit, si res dominio subiicitur, quae actu nullius est;

contra

contra *deriuatium* in translatione iuris mei in alterum sese exerit. Hinc videntur gra- uiter errare, qui maiores quaerunt effectus in dominio deriuatiuo, quam in originario. Plus enim in alterum iuris, quam quod ha- bet, transferre nequit.

§. X.

Omnes res sunt objectum dominii siue sint mobiles siue immobiles, inter quas ratione iuris nulla est differentia, modo possint possideri.

\*) Inde per se clara fit decantata illa contro- uersia agitata inter SELDENVM *de mari clau- so* et GROTIUM *de mari libero* et quorum plures nominat SCHVRFLEISCH *de serui- tute maris*. Caeterum si de dominio in ser- uos dicas, dominium tunc solum est facultas actiones hominis moralis in nostrum usum dirigendi, de quo capite superiori satis.

C A P V T VII.

DE MODIS ACQVIRENDI  
DOMINIVM.

§. I.

Cum dominium consistat in iure vten- di abutendique re propria, alios- que ab vsu abusuque excludendi libere-  
E 2 que

que de ea disponendi, vix cogitari potest huius iuris exercitium, nisi praecedat *possessio*.

## §. II.

*Possessio* est detentio rei alicuius corporalis animo sibi habendi, nihilque interest, vtrum ipse possideam, an alius *meo* nomine, vtrum rei ipsi incumbam, an interueniente symbolo.

\*) Facillime sic erui potest disputatio, quatenus I. N. differat dominium a *possessione*. Cum *possessio* sit principalis causa domini, quippe sine possessione nec vsus, nec abusus, nec exclusio aliorum cogitari potest, in tantum differunt saltem, vt *causa* et *effectus*. Vix enim concipi potest, animo solum et acquiri et retineri dominium posse, nisi accesserit *possessio*. Nam quod ciuili lege animo solo acquiratur dominium, id arbitrarium est iuris ciuilibus lege desuper lata. Vnde vero naturalis lex? Nemo turbandus in suo perfecto iure. Qui vero sciam, alterum id ius habere domini, nisi ex possessione concludam. Natura enim non inducit dominia, sed ex facto originem capiunt. Facta vero aliorum ignotari possunt, nisi signa illorum supersunt. Putauerim ergo, *dominium* non posse cogitari absque *possessione*, adhibitis iis quae supra diximus, quod nihil intersit vtrum ipse, an per alium, vtrum vere

an

an interueniente symbelo possideamus. Hinc bonae fidei possessor I. N. dominus est. v. BARBEYRACIVM ad Pufend. Iur. Nat. et Gent. L. IV. Cap. XIII. §. 3. n. 1. Quo amplius induco, Dominium vltra possessionem non durare, quicquid placeat TITIO diss. de dominio in rebus occupatis vltra possessionem durante. Caue vero putes furta rapinas et latrocinia comprobari, quod nollem; in omni enim malae fidei possessione tali concurrat factum contra legem naturalem, quam dedimus, ab occupatione rerum iam occupatarum abstinendum, cf. praeterea Corn. v. BYNKERSHOEK Diatr. de dominio maris. Cap. I.

§. III.

Possessio itaque alia vera est, alia symbolica.

\*) In symbolica possessione eo respiciendum, an etiam symbolum ita sit comparatum, vt ex eo possidendi animus concludi possit. Sic memini, legisse me, controuersum esse inter gentes: an signum crucis positum in Insula possessionis sit symbolum?

§. IV.

Modus quo possessio et per hanc dominium acquiritur, sicut dominium ipsum vel originarium vel deriuatum est, itidem vel originarius est vel deriuatus.

## §. V.

Ad originarios acquirendi dominii modos refertur *Occupatio*, quae est actus, quo res corporalis in possessionem atque custodiam ex intentione sibi habendi recipitur.

## §. VI.

Cum vero abstinendum sit ab occupatione rerum iam possessarum, sequitur objectum occupationis tantum esse res, quae actu nullius sunt, siue nunquam fuerint occupatae, siue possessae quidem, at derelictae.

\*) In regula verissimum, abstinendum esse ab occupatione rerum occupatarum, et possessarum. At interueniente pacto seu alterius *consensu* et rei hactenus possessae occupatio absque iniustitia fieri potest. Altera exceptio est in *rebus hostium*.

## §. VII.

Neque diuersa ab occupatione est *inuentio*; semper enim idem concurrit actus apprehensae possessionis cum animo sibi habendi coniunctus.

## §. VIII.

Porro *accessio* ad originarios acquirendi modos refertur, quae fit quoties vel ex  
no-

nostra re aliquid, quod haecenus prouenit, vel res aliqua cum nostra tanquam principali coniungitur. Priori casu esse originarium modum, dubitari nequit, posteriori vero deriuatiuus erit modus, qui tunc iustus, si acquirenti factum accessionis imputari nequit, tanquam iniustum.

\*) Eleganter hic *Ephr. GERHARD, Delin. Iur. Nat. Lib. II. Cap. VIII. §. 100.* Caeterum accessionem alias in *industrialem, naturalem, casualem et mixtam.* De casuali accessione memorabilia habet FELTMANN *de accessionibus memorabilibus immani aquarum vi, vel terrae motu factis.* diff.

\*\*\*) Si accessio fit consensu, communió exinde oritur. v. *TREVER ad Pufend. de O. H. et C. L. I. Cap. XII. §. VII. n. 1.*

### §. IX.

Ad deriuatiuos modos refertur *traditio*, atque a nonnullis *pactum*. Sed qui pactum ad acquirendi modos referunt, sine idonea causa recedunt a distinctione quam iuris Ciuilis interpretes habent inter *titulum* videlicet seu *causam* et *modum* dominii acquirendi.

\*) Pactum enim obligat consentientem, vt vel rem de qua pacti sumus *tradat*, vel permit-



tat ut eandem occupem. Medium ergo quoddam requiritur, per quod pactum ad effectum deducitur.

## §. X.

*Translatio* autem consistit in datione in possessionem atque custodiam alterius ex praecedente iusta aliqua causa.

\*) Potest enim translatio fingi, quae ad transferendi dominii modos non refertur, si res alteri traditur, ut meo nomine eandem possideat, quale quid in deposito, commodato, pignore et aliis.

## §. XI.

Sicuti vero possessio alia vera, alia symbolica; ita nihil obstat, quod minus est translatio alia vera sit, alia interueniente symbolo.

## §. XII.

Sunt praeterea multi, qui et *usucapionem* vel *praescriptionem* ad acquirendi modos derivatiuos referunt in Iure naturali, vel fingentes tacitam derelictionem, vel tacitum pactum. Sed cum possessio rei iusto titulo sine turbatione aliquo facto possessorem efficiat dominum, neque tempus determinans lex adesse possit, neque ob aequalitatis ius cuiquam tempus mihi praescribendi intra quod voluntatem  
meam

meam declarare debeam, ius competere queat, fictiones vero ignoret I. N. et tandem poena negligentiae, quae vera vsucapionis praescriptionisque causa, inter aequales non admitti nequit arbitror I. N. non dari *vsucapionem seu praescriptionem.*

\*) Sapienter Romani vsucapionem vel praescriptionem Iuris civilis et Praetorii habebant, neque inter naturales acquirendi modos reculerunt, sed in iis recensuere, quae civitati originem debent. Neque peruideo illam necessitatem inter liberas gentes, quam HOCHSTETTERVS *Colleg. Pufend. p. 347. seqq.* approbante, quod miror, TREVERO *ad Pufend. de O. H. et C. L. I. Cap. XII. §. 12. n. 1.* praedicat, Nam quod saepius inter gentes prouocatum sit ad praescriptionem, mediaque a gentibus interrumpendae praescriptionis adhibita, non nego. Sed quis ignorat superioribus temporibus nondum exulto perpolitoque Iure Nat. saepissime omnes gentium causas ex Ciuili Iure esse decisas, quasi Imperatores vniuersi orbis domini cunctis reliquis regibus et gentibus, leges ferrent, et tulissent. Plura argumenta, atque dissentientes cum consentientibus dedimus, in *diff. de praescriptione Iur. Gent. incognita.*

E 1

§. XIII.

## §. XIII.

An vero Iure Naturae adsit *Rei vindictio*, distinctius videndum. Cum enim hoc iure nulla iudicia, solo bello rei vindictio instituenda: Bellum vero, ut infra dabimus, detur ob laesionem atque iniustitiam illatam; eo demum casu rei vindictio dabitur, si contra illum agatur, qui versatur in facto iniusto. Qua propter tantum contra eum, qui rem eripuit, nullamque iustam possidendi causam habet, bellum conceditur, ad vindicandam rem ereptam iniusteque possessam.

## CAPVT · VIII.

## DE PERSONARVM OBLIGATIONIBVS.

## §. I.

**O**bligatio est vinculum iuris, cuius necessitate adstringimur ad aliquid vel faciendum vel dandum vel praestandum.

## §. II.

Obligatio vero oritur vel *immediate* a lege quae *innata* dicitur vel *mediate*, scili-

scilicet interueniente pacto, quae *acquisita* audit.

### §. III.

*Pactum* autem est conuentio duorum pluriumque consensu in idem placitum iustitiae leges non transgrediens inita.

\*) I. N. exulat distinctio inter contractus et pacta. Quamuis enim ab hominibus statu naturali uiuentibus eiusmodi negotia celebrentur, quae contractuum nomine veniunt, tamen ut pacta tantum considerantur. Differentia enim quae inter contractum pactumque intercedit ex legum determinatione ciuili pendet. cf. ROESLER diss. de natura *pactorum*.

### §. IV.

Cum essentiale pacti in consensu positum, sequitur, eos tantum pacisci posse, qui voluntatem suam per intellectum determinare possunt, i. e. qui sunt homines morales.

### §. V.

Qui ergo rationis usu haud gaudet, ut determinare intellectu voluntatem nequeat, is valide pacisci non potest, utpote infans, mente captus, furiosus.

### §. VI.

Neque is, qui iniusto metu cogitur vel dolo inducitur ad paciscendum, obligatur,

tur ex pacto; quippe deficit verus consensus, et is, qui iniuste coegit, facto iniusto sibi obligationem, seu ius in altero acquirere nequit.

- \*) Nec me Stoa in aliam ducit opinionem. Coactam enim voluntatem quoque esse voluntatem largior, sed iniustitia cogentis nunquam permittere potest, ut obligatoria fieri voluntas possit, nisi purgetur a metu scil. superueniente ratihabitione illius, in quod coacte consensimus. v. quae supra *Parte Gen. Cap. I. §. XI.*

### §. VII.

Plurium vel saltem duorum consensus in pacto requiritur, hinc unilateralis declaratio, quae *pollicitatio* dicitur, non constituit obligationem, ob alterius partis deficientem consensum.

- \*) Facile inde iudicabitur, quid de *Votis* I. N. sentiendum in quibus semper deest acceptatio. Si ergo in *Votis* DEO dicatis quaedam insit obligatio, petenda haec est ex *religione*, non ex iure. Caeterum in genere quaestio ambigua est, *an cum spiritibus pacisci queamus.* Graue argumentum est TREVERI ad *Puffend. c. 1. et IX. §. X.* negantis, et quod spirituum existentiam ignoret ius naturae, quodue desint cogendi media, si pactum postea spiritus non adimpleat. Re-  
pro-

probat praeterea medium cogendi quod ex superstitione dedit TORREBLANCA de *Magia. L. II. c. VI.* scil. *exorcismi vim.* Sed his omnibus non obstantibus contraria non penitus improbanda sententia. Quamvis enim spirituum existentiam, ignoret ius naturae: nec hominum existentia I. N. demonstratur, tamen cognoscuntur obligationes pactorum. Quaestio enim eo tendit, quid? si sint Spiritus: quid? si possint intelligere et velle. Quid? si possint cogitare, an pacisci possint cum homine, si iidem suum in idem placitum possint exponere consensum. Positis his, non video, quare negemus licentiam cum spiritibus paciscendi. Dein finis ex quo pactum obligat, non positus in coactione, alias imbecillis cum robustiori pactum inire non posset, quia robustiorem ad adimplendum cogere non posset. Caeterum cum malis daemonibus, quos religio docet, pacisci, impium esse, haud negamus.

### §. VIII.

Idem placitum in quod consentiunt partes, ita debet esse comparatam, ut obiectum pacti sit non tantum possibile, verum etiam ut non egrediatur limites iustitiae.

\*) De impossibili v. TREVER. ad *Pufend. de O. H. et C. L. I. Cap. I. §. 23.*

### §. IX.

## §. IX.

Consensus vero exprimi potest vel *verbis* vel *factis*. Hinc vel *expressa* alia sunt pacta, alia *tacita*.

\*) De praesumpto aliquo consensu, nihil est, quod in iure naturali dicamus.

## §. X.

Neque tractatus nudi, in quibus tantum de perficiendo consensu agitur, cum consensus verus adhuc non adsit, non sunt obligatorii.

## §. XI.

Qui ergo a tractatibus recedit, vel quid, quod per se legibus naturalibus prohibitum non sit, licet in tractatibus propositum fuerit, haud peragit, non agit iniuste.

## §. XII.

Cum *consensu* fiant pacta, a cuiusvis pendet arbitrio, an pacisci velit, et cum quo paciscatur. Turbatur ergo is in iure libertatis naturalis, qui ab altero ad paciscendum cogitur.

## §. XIII.

Consensus in pactis versatur circa res et *facta arbitraria*, modo nemo iis laedatur in suis iuribus. Prohibentur itaque facta *legibus naturalibus* prohibita.

\*) An

- \*) An vero inhonesta atque indecora facta obiectum fiant pacti, nondum satis enucleatum arbitratur BARBEYRACIUS ad *Pufend. I. N. et G. L. III. c. VII.* Sed accuratius quaestionem hanc tractat TREVER. *c. l. Cap. IX. §. 18.* Ait: *Tenendum itaque, illicitum aliquid dici respectu diuersarum normarum agendi: est enim idea relatiua, quae inuoluit comparationem actionis cum aliqua lege, per quam aliquid prohibetur vel illicitum redditur. Hinc illicitum aliquid est legibus vel iusti, vel honesti, vel decori, legibus vel diuinis vel humanis. Quando in I. N. aliquid dicimus illicitum; intelligimus actionem, quae praeceptis iusti aduersatur; seu quae aliorum iure perfecto aliquid detrahit. De caeteris omnibus tacet ius naturae, i. e. ea permittit, et per consequens per ius naturae licent. Poterunt proinde pacta iuste inire de rebus per praecepta honesti et decori illicita: quum enim licere intelligantur per ius naturae; nemini iis infertur iniuria, neque pax externa laeditur. Et c.* Sed haec theoreticōs! Quid vero in agendo seruemus! Interne enim homo aequaliter et ad iustum, honestum piūque est obligatus. Ex hac ratione is, qui ad inhonestum impiūque per pactum sese obligat, promittit factum moraliter impossibile. Et qui acceptat eiusmodi promissionem, accipit impossibile factum committendum. Non itaque, quamuis nihil promissum sit iustitiae
- limi-



limitibus contrarium, existere potest moralis obligatio, quippe ad impossibilia nulla datur obligatio.

## §. XIV.

Facta quae promitti possunt propria, non aliena esse debent, nisi simul consentiat tertius, qui alias nostra voluntate ob aequalitatem obligari nequit.

## §. XV.

Pactum praesupponit, illius rei, de qua paciscimur, nullam existere obligationem perfectam; sed pacto demum, ubi antea vel nulla fuit, vel imperfecta solum, efficitur perfecta obligatio.

## §. XVI.

Quod si vero iam adest obligatio iuris, non opus est pacto, quippe pactum plus obligationis adferre nequit, quam quae iam ex iure extitit.

## §. XVII.

Cum cuilibet liberum est, pacisci, sequitur omnem pacti determinationem pendere a paciscentium arbitrio. Hinc non tantum *pure* pacisci possumus, verum etiam *sub conditione, sub modo, ex die, ad diem, et alternatiue.*

## §. XVIII.

§. XVIII.

*Pactum purum* fit, si consensus partium eo tendit, ut statim exinde existat obligatio perfecta ex partium paciscentium intentione.

§. XIX.

*Pactum sub conditione* fit, quoties illius obligatio ab euentu futuro et dubio pendet. Dubius vero erit euentus, qui vel existere, vel etiam non existere potest.

§. XX.

Omnis itaque conditio, quae in euentu futuro dubioque quaerenda, *possibilis* est: *Impossibilis* conditio ad non entia referenda. Hinc pactum sub conditione impossibili obligatorium esse nequit.

§. XXI.

Pactum sub conditione possibili initum ab ipso euentu pendet. *Pendente* enim conditione, pendet obligatio: *Deficiente* conditione, deficit obligatio; *Existente* vero ea, existit obligatio.

\*) Quid? si conditio adiecta conventioni, cuius adimpletio pendet ab arbitrio paciscentis alterius, si conditionem non adimpleat, an iniuste agat. Non arbitror, quippe alter consentiens in conditionem, simul in hoc

F

con-

consensit, ut etiam eam non adimplere possit. Quo facto, idem est, ac si consenserint partes, ut valor pacti ab alterius paciscentis arbitrio pendeat, an efficere velit obligatorium, nec ne.

§. XXII.

*Pactum sub modo* eam indicat conventionem, qua aliquid promittitur, vel datur ad certum aliquem finem adimplendum vel praestandum. Validum erit, modo quem finem paciscentes constituerent, non sit legibus contrarius.

§. XXIII.

*Pactum ex d. e.*, illud est, quo dies adimplendae obligationis praefigitur. Statim atque initum pactum, adest obligatio, hinc citra alterius ius perfectum laesum veniente die pacti adimpletio negari nequit, ante vero diei existentiam ad adimplendum pactum alter cogi nequit.

§. XXIV.

*Pactum ad diem* in eo positum, si dies obligationi finiendae consensu partium positus.

§. XXV.

*Pactum alternatiuum* est, quoties ex definitis obiectis obligationis alteri paciscent-

centium electio conceditur, in quo velit pactum adimplere. e. g. promitto me daturum aut equum, aut quinquaginta.

### §. XXVI.

Pactum iuste initum *obligat* perfecte partes consentientes ex eo, quod quiuis paciscentium circa obiectum, de quo paciscuntur suae *renunciat libertati naturali* determinandi voluntatem ad agendum per intellectum. Posita vero ab vna parte perfecta obligatione, ab altera parte perfectum ius orietur.

- \* ) Non vtimur ergo argumentis PROELEI in *Annot. ad Pufend. de Off. H. & C. p. 348.* qui ex eo obligationem pactorum deducit, quod *non seruando pacta, non tantum conscientiae morsibus et perturbatione ageretur; sed etiam turpitudinis notam incurreret.* Recte vero refutantur haec argumenta a TREVERO *ad Pufend. c. l. Cap. IX. §. 3.* Caeterum cum omnis pactorum obligatio a renunciatione libertatis naturalis pendet, facile patet, eos tantum inter se pacisci posse, inter quos domini vel imperii vis non intercedit, sed qui respectu obiecti de quo paciscuntur, sunt aequales. Vnde enim habemus arbitrium liberumque consensum in eo, cuius voluntas atque actionum determinatio ab alterius pendet arbitrio. Hinc maiestas

iestas cum subdito, qui talis iam est, non paciscitur in iis causis, quae ad finem civitatis et imperii pertinent, sed tunc imperat in iis vero, quae ad imperium non referri possunt, et quae arbitrio relicta subditi, cum in his libertate gaudat adhuc naturali, recte paciscitur.

## §. XXVII.

Caeterum cum naturae ius ad solum partium consensum respiciat, nec quidquam solennitatis ex hoc iure ad pacta requiritur, imo omnis differentia inter pacta et contractus exulat.

## CAPVT. IX.

DE ACCESSORIIS PACTORVM  
OBLIGATIONIBVS.

## §. I.

**O**mnia pacta vel nouam aliquam inducunt obligationem, vel obligationi iam existenti siue innatae, siue acquisitae accedunt. Illa *principalia* audiunt, haec vero *accessoria* dicuntur.

\*) Sicut omnis pactorum ratio a facto pendet, ita *accessoriorum pactorum* primariam quandam causam in se continet transgrediendi leges homi-

hominum adsueta quaedam facilitas sicque  
rupta fides:

§. II.

Ad accessoria pacta fideiussorum, ex-  
promissorumque, obligationes referun-  
tur, imo pignorum hypothecarumque  
promissiones, quae quidem non ipso na-  
turali iure praecipiuntur, at nec eodem  
prohibentur. Hinc solo partium pacis-  
centium arbitrio nituntur.

§. III.

Accessoriam vero obligationem quae-  
runt haud pauci in *iure iurando*, eamque  
immediate ex ipsa lege naturali deducunt.  
*Iuramentum* vero definiunt, esse *religiosam*  
*asseuerationem veritatis vel falsitatis asserti*  
*vel promissi aduocato DEO teste et vindice*  
*mendacii.*

§. IV.

Facile inde patet, diuidi posse *iuramen-*  
*ta* in *assertoria* et *promissoria*. Sicut vero  
iurari potest certa aliqua formula, vel  
aut asserti aut promitti aliquid verbis iu-  
risiurandi sententiam continentibus; ita  
iuramenta diuidunt in *explicita* et *im-*  
*plicita.*

## §. V.

Cum omnis vis iuramenti deprehendatur in vindictae diuinae rationibus, quam vindictam in se concitare sit contra officia DEO debita, et hac ratione *impium*, potius asserendum, cum officia DEO debita ad Iuris Nat. tractationem non pertineant, Iuramentorum obligationem ex legibus naturalibus *iusti* probari haud posse,

\*) Valde dubia vexataque notio communis videtur, quam tribuunt *iuriiurando*. Haud quidem nego, quod et absque blasphemia negari nequit, DEVM iniustitiae summum vindicem esse; at vehementer dubito, an cum ratione et reuellatione conueniat, posse hominem vindictam iramque diuinam sine summo scelere in se prouocare, imo testem DEVM esse iubere; quasi hominis in voluntate positum esset, diuinae prouidentiae legem dare, vt iniustum me statim puniat, eaque poena testetur falsum vtique me adseruisse. Quapropter putem conuenientius religioni fore, iuramentum definire, vt sit professio religiosa, me credere DEVM ens, quod iniustum me possit coercere veritatemque manifestare, si falsus iurauerim. Caeterum cum pateat, primariam obligationem esse iurisiurandi in *officiis DEO debitis* quaerendam eamque ex  
theo-

theologia et naturali et reuellata probandam, frustra disputari de iurantibus Atheis in I. N. de quibus WILLENBERG et MENKEN peculiaribus dissertationibus *de iuramento Athei* egerunt.

§. VI.

Cum verò iurando quis alterius pacem externam haud turbet, licitum utique partibus paciscentibus erit, pacto constituere, ut alter vel iureiurando promissum confirmet, vel verum vel falsum iurando aut adserat, aut neget.

\*) cf. Disput. nostram *de Iuramentis Iure Gent. incognitis.*

§. VII.

Quodsi ergo iurandum est, iurandum est ex conuentione, et obtinet vim suam et obligationem externam iuramentum ex pacto, cum internam ignoret lus naturae: hinc patet quoque ipsam iurisiurandi formulam pendere a partium conuentione, imo nec quidquam interesse, an per verum DEVM, an per idolum iuretur.

\*) Equidem si ad internam obligationem iurisiurandi respiciendum, formula de illo ente quod iurans summum habet, concipienda. At in I. N. non quaeritur de interna



illa obligatione, hinc conuentione sola determinanda formula. Adde HVNOLD *diff. an iuramenta per falsos Deos sint vera iuramenta.* SCHWERDTNER. *diff. de iuramento per falsos Deos.*

### §. VIII.

Quia vero I. N. nec praeceptum, nec prohibitum sit iurare, atque interna ignoretur obligatio; facile patet, quid sentiendum de periurio hoc iure, cuius videlicet nulla adesse potest notio, nisi peierando simul alterius iura perfecta laedantur, ut pote si non praestat, quae praestare iurato promisit. Sed tunc latet iniustitia non in periurii notione, sed in pacti transgressione.

\*) Sicuti omnem iurisiurandi obligationem ex theologiae naturalis atque reuellatae praeceptis deducimus; ita facile patet, pejerando summam in DEVM impietatem committi, atque ex iis ipsis praeceptis, nequiquam ex lege naturali esse probandum, illicitum esse peierare, i. e. contra veritatem et iustitiam iurare.

### §. IX.

Idem quoque de reservationibus mentalibus sentiendum, quae in eo deprehenduntur, si verbis aliud iuramus, aliud in animo tenemus, de quibus Ius Nat. non iudicat,

dicat, cum desit principium ex quo di-  
iudicari possint, secus in praeceptis theo-  
logiae, quae reservationes non minus ac-  
periurium, quod semper in iis latet, pro-  
hibet.

\*) Neque ex solis regulis theologiae, imo ex  
praeceptis honesti, seu virtutis ratione. adde  
TREVER *ad Pufend. de Off. H. et C. L. I.*  
*c. IX. ad §. 1. seq.*

CAPVT X.

DE MODIS QVIBVS IVS IN  
RE TOLLITVR.

§. I.

Vidimus haecenus modos et acquiren-  
di iuris et acquirendarum obliga-  
tionum: iam de modis et iurium et  
obligationum amittendarum agamus.

§. II.

Supra exposuimus, quomodo possessio  
a dominio differat, quantumque posses-  
sio necessaria sit apprehensa ad acqui-  
rendum dominium. Hinc amissa pos-  
sessio potest in se continere rationem

*amisi iuris in re, dummodo a parte tertii alicuius non concurrat factum turbatum.*

## §. III.

Hinc sicut *occupatio* tribuit ius in re, ut supra ostensum, ita adimit quoque *occupatio* rei ius in re, modo ita fiat, ne laedatur iustitia. Quare, quod bello occupatur ab hoste eius esse desinit, cuius antea fuerat. Sic quod ex pacto mecum inuito alter a me occupat, meum esse desinit.

- \*) At quid? si res pro derelicta vel tanquam nullius occupetur, quam vel non dereliqui, vel derelinquere nolui, an *tunc ius in re meum occupatione cesset*. Distinguendum esse censeo. *Vel illa occupatio fit ab eo, qui scit rem a me derelictam non esse, neglectis signis possessionis, sicque mala fide, non expirabit ius meum, cum a laedente iure belli vindicare possim. Vel fit ab eo, qui, quod symbola possessionis non adsunt, bona fide rem pro derelicta habet, et occupat. Quo facto occupatio utique tunc meum tollit ius, cum contra occupantem bellum non detur, quippe ab eo laesus non sum, qui mihimet impurare debeo, quod non retinuerim possessionem saltem per symbola. Sed si quis mala fide rem meam occupaverit atque possede-*

federit, atque ab eo rem vindicaturus bello succumbam, amitto quidem ius meum, sed non ob occupationem, potius vel ex *victoria* vel ex *superueniente pacto* quo deinceps cum altero pacem facio meoque iuri renuncio.

## §. IV.

*Amisio* itaque rei alicuius, cum ab altero bona fide inueniatur et occupetur, ius nostrum in re nobis competens tollit.

- \*) Quae autem, circa res amissas ab altero inuentas iura ciuilia statuunt, haec ex dominiū perpetuitate in ciuitate inuenta et introducta pendent, non a naturalibus legibus.

## §. V.

Dein *traditione* rei nostrae ex causa, vt alterius fiat, ius in re amittimus.

- \*) Caue vero credas *pacto* amitti ius in re. Sicut enim pactum neutiquam acquirendi iuris in re modus esse potest, vt supra ostendi, ita nec amittendi modus erit, sed vel occupationem vel traditionem iustam efficiet. Hinc a Naturalium Legum dispositione Ius Romanum non recedit, quod vendita v. c. re, nondum tradita, venditorem adhuc dominum agnoscit, non emptorem. Caeterum, sicut *traditio* vel *vera* vel *symbolica* ius in re tribuebat, ita vtraque quoque efficiet, vt ius in re nostrum cesset.

## §. VI.

## §. VI.

Amplius sicut in acquisitione ad animum habendi, respiciendum ita in *derelictione rei*, qua habendi animus cessat, modus deprehenditur, quo ius in re tollitur, fit ergo derelicta res nullius, ceditque amplius occupanti.

\*) Derelictio tunc iudicabitur, quoties res vacua a possessione adeo symbolica deprehenditur.

## §. VII.

Tandem *morte* expirat ius, quod in re nostra habuimus, eaque denuo fiunt res nullius, ceduntque occupanti.

## §. VIII.

Quo deducitur, *successionem*. I.) *testamentariam* arbitrarium iuris civilis esse testamentaque lure Naturali ignorari.

\*) Non defunt, qui *testamenta* in naturali Iure inuenisse sibi persuadent. Causam vel in eo quaerunt, quod qui *dominus* rerum suarum liberam habeat *dispositionem*, ut adeo dominium in alterum sua voluntate transferre valeat. Voluntati vero et hic disponendi facultati liberae subniti *testamentorum* notionem. Hinc GROTIUS de I. B. et P. L. II. Cap. VI. §. 14. *Quaquam enim, inquit, testamentum ut actus alii formam certam accipere possit a iure civili, ipsa tamen eius substantia*

tia cognata est dominio et eo dato Iuris Naturalis. Possum enim rem meam alienare non pure modo, sed et sub conditione; nec tantum irrevocabiliter, sed et revocabiliter, atque etiam retenta interim possessione et plenissimo fruendi iure. Sed sicut in testamento per se, obinde quod unilateralem tantum declarationem voluntatis continet, alienatio fieri nequit, propter quam opinionem Grotius recte taxatus a THOMASIO diff. de Origine successione testamentariae, et COCCII diff. testament. Principum, ita sola voluntatis declaratio, maxime cum ea morte cesseret, ipsaque voluntas in moriente desinat, effectum ferre nequit. Voluntas vero hominis sola in statu aequalitatis naturalis alios et ignorantes et dissentientes obligare nequit, ut eandem agnoscant pro actionum norma. Si ergo testator moritur, eiusque dominium cessat, res illius nullius fiunt, quo iure heres institutus alios ab occupatione rerum excludat, solo praetextu voluntatis morientis, qui sua voluntate alios ad aliquid intermitendum obligare nequiverat? Aiunt testator potest de rebus suis disponere ex dominii ratione. Bene, quousque est dominus, si ergo inter vivos ius suum in alios transfert, recte ager. Sed an aequè recte agat declarata in vim legis ultima voluntate? non arbitror; quippe cum effectum habere debeat, voluntas amplius non est. Hinc heres

res in rebus defuncti ius habere nequit, nisi primus sit, qui occupet. Consentiant TREVER ad *Præfend. de Off. H. et C. L. I. C. XII. §. 10.* et FLEISCHER *Instit. iur. Naturæ et Gentium Lib. II. C. X. §. 63.* et alii.

## §. IX.

Ex eadem ratione, cum morte defuncti res nullius fiant, I. N. ignoratur *successio intestati*. Ius enim, quod omnibus æquale est, non potest non ignorare familiarum differentias atque præcipua iura, quae ipsis dedit ciuitas.

\*) Equidem GROTIUS *de I. B. et P. L. II. Cap. VII. §. X. n. 2.* defendit successionem intestati prætextu taciti testamenti. Sed cum præced. §. ostensum sit, expressa testamenta I. N. ignorari, vnde ergo sint tacita. Dein successio intestata semper iurium inaequalitatem constituit, tribuit enim cuidam ius, quod aliis negat, quale quid in naturali iure, in quo omnium æqualitas non permittit, ut vnus plus iuris habeat, quam alter. Quapropter quilibet, qui primum potest, occupet bona relicta. Alia argumenta contra *Grotium* v. apud TREVER *c. l.*

## §. X.

Qua propter, ut aliquo modo successionem in iure naturali inueniant, confugiunt ad pacta *successionemque pactitiam*.

Non

Non quidem nego, moriturum bona sua transferre posse pacto in alteram accipientem. Sed tunc non est successio, sed deriuatiuo acquirendi modo inter viuos vel traditione vel occupatione tunc acquiritur ex titulo *donationis* inter viuos. Fac vero me cum decessuro pactum esse, vt mihi liceat habere bona eius post ipsius mortem, nisi primus adsum qui occupem, pacti effectus nullus erit, poteram enim occupare sine praecedente pacto, si primus post mortem adesset, quippe res nullius demortui bona facta. Dein cum haec bona demortui nullius fiant, si alius primus superuenerit, qui occupasset ex iure sibi competente, mihi paciscenti ius repetendi competere nequit. Obligat enim pactum consentientes, non vero eum, qui in pactum haud consenserat, quique ex suo aequalitatis iure rem occupauerat. Tandem quis pacti effectus, cessante morte paciscentis vnus consensu, quo nitebatur pactum. Qua propter nec *successoriorum pactorum* hoc modo effectus naturali lege esse poterit.

\*) At fac Caium cum centum aliis, qui aequales, quique praesentes, qui forsitan defuncti alicuius bona occupaturi sint, pacisci, ne demor-



demortui Sempronii bona occupent sibi que occupanda potius relinquunt. Et arbitror hoc modo *pacti successorii* effectum cogitari posse. Sed tunc abstinere debent ab occupatione rerum demortui, qui consenserunt, non aequè alii qui de abstinendo ab occupatione pacti non sunt.

## CAPVT XI.

DE MODIS QVIBVS TOLLITVR  
OBLIGATIO.

## §. I.

**S**icuti per pactum oritur inter paciscentes ad dandum faciendum praestandumue aliquid perfecta obligatio; ita, si alter vel dederit, vel fecerit, vel praestiderit, ad quod erat obligatus, cessat obligatio ex pacto proueniens.

## §. II.

Dicitur hic modus soluendae obligationis *solutio*, quae hic in sensu generali omnem promissi adimpletionem denotat.

## §. III.

Porro exspirat omnis vis pacti *Remissione* ita, vt, si is, cui obligatio acquisita, suo quaesito iuri renunciaret, alterique ad-

im-

implendi pactum necessitatem renittat, obligatio cesset si unilateralis pacti obligatio adsit.

## §. IV.

Contra si bilateralis pacti adsit obligatio, communis partium *dissensus* iustus erit tollendae obligationis modus.

## §. V.

Amplius omnis quoque vis et efficacia cessat pacti *morte* unius paciscentium, quippe mortuo nec iura nec obligationes superesse possunt, et cum ius et obligatio correlata sint, vno sublato alterum quoque cessabit.

\*) Adde Cum I. N. heredes non sunt, sic vno mortuo nemo adesse quidem potest, qui vel *iur* ex pacto *proveni*ens *urgere*, vel *obligationem* adimplere possit: At si pactum cum corpore mystico initum, aliter res comparata, quippe tunc, mortuis licet primis paciscentibus, tamen vis pacti non cessabit, quia successores, cum ad corpus illud accedant, membraque fiant, simul consentiunt in ea, quae ab antecessoribus comprobata et pacta fuere.

## §. VI.

Amplius sicut ius perfectum et obligatio perfecta in eo, qui desit esse homo

G

mo-

moralis, esse nequit, ita, si quis paciscen-  
tium in eam venit conditionem, vt desi-  
nat esse homo moralis, is ex pacto obli-  
gatus amplius non erit, quo usque ea  
conditio durat, neque alios sibi obliga-  
tos habebit.

\*) Vt pote furiosus, quo vsque furor durat,  
versatur extra naturam moralem. Restitu-  
ta vero sanitate, vel obligatum adhuc fore,  
vel alios obligatos sibi habiturum, concedo.  
Hinc furor magis suspendit obligationem,  
quam quod tollat.

## §. VII.

Tandem fieri potest, vt ex incidenti  
in eam causam veniam, qua impediatur,  
quo minus id, quod pacto promiseram,  
adimplere nequeam; si absque mea cul-  
pa contingat, ob cessantem imputatio-  
nem, recte liberor ab obligatione, pa-  
ctique vis expirat.

## CAPVT. XII.

DE LAESIONE ET SATISFA-  
CTIONE.

## §. I.

**P**rohibet prima naturae lex, ne quem in  
suo turbemus perfecto iure. Sicut ve-  
ro

ro hoc ius cuius morali homini competens vel innatum vel acquisitum est; hoc vero vel personas vel res concernit; ita prohibet I. N. ne quis turbetur vel innato vel acquisito iure aut personam aut res concernat, perinde est.

§. II.

Actio vero, quae contra alterius Iura perfecta suscipitur, *Laesionem* inuoluit.

§. III.

Cum a natura nobis competat perfecta libertas, aequalitas, securitas, iusque perfectum nos conseruandi; orietur laesio in iure connato libertatis, aequalitatis, securitatis, conseruationis, si vel iniuste libertas eripitur, aequalitas destruitur, pax nostra turbatur, inque studio conseruandi impedimur.

\*) Sic vis pudicitiae virgini illata, laedit eandem in statu securitatis. Adde STRYCK. *diff. de Iure conscientiae.*

§. IV.

Cum nobis ius competat in rebus acquisitis et possessis, non tantum iis vtendi abutendique verum etiam, quemlibet ab vsu et possessione rei arcendi; sequitur nos *laedi*, quoties quis vel re nostra

vtitur, vel abutitur, vel possessionem nostrae rei nobis non consentientibus appetit.

## §. V.

Neque minus *laesio* orietur ab eo, qui ex pacto vel ad dandum, praestandum faciendumque obligatus est, qui non dat, non praestat, non facit, ad quod erat obligatus.

## §. VI.

Omnis vero *laesio* exinde iudicanda, si a parte laedentis vel dolus vel culpa concurrit, quoties iura perfecta nobis competentia turbat. Quapropter *laesio* non erit, si quis *necessitate* adactus nostram conseruationem, libertatem, aequalitatem, securitatem turbat.

\*) Vera autem adesse debet *necessitas*. Quapropter nisi prius tentata sint omnia, per quae se liberare quis possit a *necessitate*, adest imputatio actionis et vera orietur *laesio*. At si ea sit rerum conditio ut aut pereundam aut iniuste agendum sit, potius iniuste agendo, non committet *laesionem*. Quare si tempore naufragii plures in scapham insiliant, quam ferre possit, ii vero qui priores in scapha fuerant, vnum alterumue in mare praecipitent, iniuste non agent, quippe alias ipsis submersa scapha simul pereundum fuisset,

po-

potior vero propria tunc conseruatio. Quare teste ZIEGLERO ad *Grotium L. II. C. I. §. 3.* cum septem Angli e naufragio per mare circumnauigantes in scapha summa inedia suppressi vnum ex sociis maestatum commedissent, feliciter a periculo liberati reduces in Angliam homicidii ex propria relatione accusati a iudice liberabantur. Sed ridicula est BARBEYRACII ad *Pufend. de Offic. H. et C. L. I. Cap. V. §. 25.* philosophandi ratio, qui quidem concedit, necessitatis ratione habita, ne scapha nimis onerata submergatur, posse a reliquis quosdam praecipites dari et in profundum deiici, sed eos, qui societati minimum sunt utiles. Sed quis tunc iudicet inter aequales qui omnes pari iure de propria conseruatione cogitant, de singulorum qualitate, an maius an minus societati sint utiles?

## §. VII.

Neque is laedens erit, qui vsum rei nostrae vel abusum vel possessionem appetit, ignorans rem nostram esse, si ignorantiae nullam ferat culpam. Quare, si rem non custoditam reliquerim, neque possessionis retentae symbola adposuerim, alter eam pro re derelicta occupando me non laedit, qui ipse negligentiae fero damnum. At si possessionis sym-

bolis superhabitis occupauerit tanquam derelictam, cum negligentia occupanti tribuenda sit, utique me laedit.

## §. VIII.

Is, qui nobis ex pacto obligatus est ad dandum, praestandum faciendumue, *laedens* non erit, si eidem nec dolus nec culpa tribui possit, quod obligationi suae non faciat satis.

## §. IX.

Contra, qui agit, quod ex iure sibi competente agere libere potest, pro laedente haberi nequit. e. g. omnibus competit ius perfectum occupandi res nullius ego qui rem nullius primus deprehendo occupo, eoque efficio, ne alii eandem rem occupare queant; reliquos non laedo, quia tunc meo iure vtor.

## §. X.

Laesio vero vel inferri potest vel committendo vel omittendo. Committendo laesio inferitur, suscipiendo actionem qua alterius perfecta turbantur iura; contra omittendo, si actionem aliquam, ad quam peragendam obligatus perfecte, non susceperim.

## §. XI.

§. XI.

Distinguunt amplius laesionem in mediatam et immediatam. Mediatam in eo quaerunt, si cui media alteri nocendi suppetitem.

\*) Hinc qui hosti meo arma vendit, videtur nonnullis quoque meus hostis. At distinguendum arbitror, an animus hostilis concurrat in vendendis armis; an consuetum sit commerciorum genus. Priori themate laesionem adesse nemo negabit, non aequè potteriori. v. Diss. nostram de *Ufu Juris Naturae in causis commerciorum.*

§. XII.

Dein in laesione necessario id observandum, ut alter quoque laedi possit, scilicet, quod ipsi perfecta debeamus iura. Quare hostis noster proprie a nobis laedi non poterit, quia iura perfecta cessant, nisi in statu hostili iura perfecta superueniente pacto v. c. induciarum eidem concessa sint.

§. XIII.

Damnum dicimus racturam rei nobis competentis, siue sit res corporalis, siue incorporalis. Qui nos laedit, nobis aufero vel rem vel ius nobis competens;



ergo omnis laesio inuoluit simul damnum nobis illatum,

§. XIV.

Cum autem nemo laedendus sit, sequitur eum, qui laedendo damnum dederat, teneri ad illius *reparationem*, quae damni illati restitutio *Satisfactio* audit.

§. XV.

Competit itaque laeso ius perfectum, damni *reparationem* seu *satisfactionem* a laedente, exigere. Sed quo modo illa reparatio fieri debeat, disceptatur. Si damnum datum, erepta re vel iure, ea vel eo restituto reparatio facilis erit. At si aestimatione facta damni reparatio praestanda, laesus aestimet, quanti damnum reputet, quod perpeffus est.

\*) Equidem TREVERYS ad Puffend. de O. H. et C. L. I. Cap. V. §. 22. putat laedentem non obligari ad satisfaciendum alteri ultra limites aequitatis et iustitiae. Sed quid nobis in I. N. negotii est cum aequitate, quae ex humanitatis tantum praeeptis diiudicanda. Et quis iudicet quae, laesione illata, sint aequitatis limites. Ipse laesus, aestimet damnum, nec aestimando ex arbitrio alterum laedet, qui illam laesione in iniustitia versatur cuique laesus iura non amplius debet, cum  
fit

fit hostis factus illata laesione. Quod si non  
 fuisset, ut laesus aestimet, abstinisset, et lae-  
 dendo. At vero si laesus eam satisfactio-  
 nem exigit, quam praestare non potest lae-  
 dens, liberum utique erit, ut iure defen-  
 sionis, de quo infra.

XIV.

Nec concipi potest, lex naturae quae  
 aestimationi damni modum scribat. Cum  
 enim in rebus certa aliqua aestimatio non  
 insit natura, sed ea vel a *necessitate* plus  
 vel ab voluptate vel ab *utilitate* defuma-  
 tur, maximeque cuiusque *imaginatio* pre-  
 tium determinet, patet in aestimatione  
 damni, quanta etiam est, laesionem pro-  
 prie cogitari non posse.

\*) Rerum pretia omnia arbitraria esse, euicit  
 GERHARD. *delin.* I. N. L. II. Cap. IX.  
 TRÉVER. *cit. libr.* I. Cap. XIV. ad §. 2. n.  
 2. THOMASIVS *dis.* de pretio affectionis in  
*res fungibiles non cadente* et IDEM *dis.* de ae-  
*quitate, cerebr.* L. II. C. de Rescind. Vendit.  
 et alii. Nec dubitandum, cum rerum ae-  
 stimatione earundem, aliis alia esse solet.  
 Sic aurum Europaeis charissimum, aliis  
 Africanis Americanisque gentibus vix  
 ferro vitroque aestimatione aequandum  
 videtur.

## §. XVII.

Ex his supra dictis deducitur, si conventionione inter partes pretium statutum in quocunque negotio sit, nunquam dari posse sub praetextu laesionis in vero pretio negotii rescissionem.

## §. XVIII.

Quod si ergo laesio cui obtigerit, laesus damnum aestimet, alter satisfaciat, statim cessat laesio, nec laeso in laedentem ius amplius ob laesionem competere potest.

## CAPVT XIII.

## DE IURE BELLII.

## §. I.

Si laesio illata sit mihi que laeso ius competat a laedente, satisfactionem exigendi, hicce ad satisfaciendum obligatus sit, si hanc praestare detrectet, necessario mihi laeso ius cogendi competere debet in laedentem ad consequendam damni reparationem.

## §. II.

Sicuti vero mihi laeso ius competit cogendi, ego vero iuri renunciare possum  
cui-

cuius mihi competenti sequitur, hanc coactionem non absolutam esse nec praeceptam lege, sed permissam iure naturali. Possam ergo cogere et non cogere laedentem ad satisfaciendum mihi laeso.

## §. III.

Cum autem ob perfectam, quae inter homines est in statu naturali, aequalitatem, superior quis non fit, cuius auxilio satisfactio exigenda, coactio, quae mihi permissa est, fiat bello necesse est.

## §. IV.

Est autem bellum lege naturali permessa coactio quae armis fit, ex causa laesionis.

## §. V.

Laesio dupliciter cogitari potest, vel illata vere, vel inferenda certo.

\*) Inferenda quidem laesio, satis non videtur; at vero, si certitudo adsit laesionem illatum iri, quae certitudo tunc est, si eae causae proximae adsint; ex quibus laesio non potest non sequi; idem est, ac si iam ab altero laesi simus. Probabilitas vero nuda de laedendo laesionem nunquam inferret.

## §. VI.

Sicuti laesio duplex est, vel iam illata, vel certo metuenda; ita bellum aliud adhi-

adhibent ob laesionem illatam, aliud ob metuendam.

§. VII.

Hinc *bellum* propter illatam laesionem ad satisfactionem obtinendam exortum, *offensuum* dicunt.

\*) Plane a verbi significatu vera aliena est haec denominatio, quod recte observavit TREVERER ad Puffend. L. II. Cap. XVI. §. 2. Offendere enim nihil aliud significat, quam violare vel laedere. Cum vero nemo ex Legge naturali laedendus sit, isque qui alterum laedit, iniuste agit; ita bellum offensuum vero sensu esset bellum iniustum; seu inuasivo. Sed usus loquendi communis alius dedit significatum,

§. VIII.

*Defensuum* contra dicunt *bellum*, quoties periculum certo nobis imminens auertimus armorum vi.

\*) Addit GROTIUS de I. B. et P. L. II. C. I. §. 2. n. 2. aliam speciem, bellum scilicet *punitivum*; sed cum poena contineat notionem relativam ad imperium, hoc in statu naturali seu aequalitatis et libertatis exulet, ad non entia haec belli species referenda.

§. IX.

Obtinuit interdum solennis aliqua provocatio ad bellum, seu ut inter liberas gen-

gentes vocatur *Clarigatio* vel *belli indictio*, quae ipsum bellum antecedebat. Neque haec iuris est, sed humanitatis. Is itaque qui laesus ab altero satisfactionem seu damni reparationem obtinere nequit, iniuste non agit, si arreptis armis hostem, cui iura perfecta amplius haud debet, aggreditur coacturus ad satisfaciendum, non prius indicto bello.

\*) *Clarigatio* haec non est confundenda cum postulatione satisfactionis ob illatum damnum iure competentis. Illa enim ab initio belli, interque plerasque gentes non sine solennitate aliqua, quali in Anglia Gallis bellum indicendo adhuc observatam superiori bello legimus, fiebat. Sicuti autem nulla in me est obligatio admonendi hostem, ut sibi prospiciat, quò minus a me cogi possit ad satisfaciendum, ad quod tamen erat obligatus; ita ad solam vel humanitatem vel quod magis est ad decorum referri debet illa bellum indicendi consuetudo. v. *CONRADI* *diff. de Clarigatione.* *TREVER.* *diff. de decoro Gentium circa belli initia.*

### §. X.

Cum itaque iustitia belli ex *Clarigatione* non pendeat, respicienda semper est causa, quae tunc iusta erit, quoties ob damni illati negatam reparationem, vel

vel ad auertendam læsionem certo imminentem arma capimus.

§. XI.

Damnum vero, quod iustam belli causam ponimus, vel dolo vel culpa alterius verum esse debet. Hinc, qui suo utitur iure competente, licet alter exinde pauperiem sentiat, bello ad damnum resarciendum iuste cogi nequit.

\*) Fac itaque ex libertate naturali me aedificare in meo, quo alterius lumina obscurantur, vel puteum in meo effodere, quo vicini puteus exsiccat, nunquam alteri belli iustam dabit causam, quamuis negari nequit, damnum in re sua eundem perpeffum.

§. XII.

Neque vero contra eum tantum experiri armis possumus, qui ipsemet damnum infert, sed et contra eum, qui vel alium in nos excitat, vel hosti nostro auxilium fert, vel auxilium ad quod praestandum erat obligatus, sine iusta causa negat.

§. XIII.

Amplius iniuste arma contra eum sumerentur, qui officia humanitatis seu imperfecta nobis negat, nisi illa officia pacto in perfecta transformata sint.

\*) E. g.

\*) E. g. Si quis me armis cogeret, ut ipsi eleemosynas darem, quas ob egestatem petit, iniuste ageret cogendo; ego qui dare recusarem inhumaniter tantum agerem. At quid? Si certas pacto promiserim eleemosynas, pacto vero postea negarem, armis iuste me coget; quippe imperfectum officium pacto in perfectum abierat.

## §. XIV.

At quid? si quis per rem meam, aut hominem dominio meo subiectam, damnum patiatur; an ad satisfaciendum egomet dominus armis cogi possim, quaeritur. Dubitandum non est, si mihi dolus culpaque imputari possit, quo factum ut alter per rem meam seruumue damnum fenderit, me ad satisfaciendum teneri, si que satisfacere nolim, me quoque cogi armis iuste posse.

## §. XV.

Contra vero, si nihil mihi, nec dolus, nec culpa imputari damni dati per rem seruumue meum poterit; nunquam iuste ad reparandum damnum cogi possum.

\*) Dissidentem vero habemus *PVEENDORFIVM de Off. H. et C. L. I. Cap. VI. §. XI.* qui naturali aequitati congruum esse arbitratur, ut, si homo noster citra culpam nostram alteri damnum dedit, id vel ipsi pensemus,



mus, vel istum laeso dedamus. Argumenta quibus suam opinionem defendit Pufendorfus, exequitur magis TITIVS ad t. l. et non improbat TREVER ad eund. loc. eorumque vis in eo versatur, quia servus cuius corpus domino obnoxium, nihil proprii habeat, per quod damnum reparare alteri possit, qui alios impune alios laedere possit. Sed vix haec concludunt. Exigat laesus satisfactionem a seruo, qui laesi hostis factus iuste occidi poterit, si satisfaciat, neque occidendo servum dominum laedet, quippe qui suo vitur iure, alterum non laedit. Non quidem nego dominum si velit noxae dare posse servum, sed tamen cogi nequit ad deditiorem noxae armis, quippe ad abdicandum se suo dominio nemo cogi poterit. Quare rectius GROTIUS de I. B. et P. L. II. Cap. XVII. §. 21. noxae deditiorem et hanc quam PUFENDORFIUS recepit sententiam iuris civilis esse arbitratur.

## §. XVI.

*Arma* tanquam media et instrumenta, quibus quis cogi potest, natura non definiunt, sed arbitrio reliquit belligerentium. Hinc diuisio in *arma licita* et *illicita* in iure naturali incognita est.

\*) Si quae distinctionis huius causa vel ex humanitate sumenda, vel quod magis est ex gentium moribus et decoro oppulente supersti-

perstitutione Iuris Canonici. Nihilominus tamen et haec suos nacta defensores. *Alberic. GENTILEM. de Iur. Belli. L. II. Cap. I. et Henricum COCCII* *diff. de armis illicitis. Consentit nobiscum GROTIUS de I. B. et P. L. III. Cap. IV. §. 15. PVENDORFIVS de O. H. et C. Lib. II. Cap. XVI. §. 12. et ad h. l. TREVER* qui adhuc adducit *SCHWARTIVM* *Altorf in Controvers. Iur. nat. et Gent. Specim. II.*

## §. XVII.

Non ergo iniuste agit, qui bellum gerendo utitur igne, ferro, veneno, prodicione, insidiis stratagematibus.

\*) An *magia* in bello uti liceat Iure Naturali disputant. Naturalem adhiberi posse absque iniustitiae imputatione contra hostes ex antea dictis negari nequit. Sed an ea quam diabolicam dicunt, adhibere possit? Ridicula est disputatio. Sicut enim ignorat Ius Naturae Cacodaemonem, ita eius auxilium in bello gerendo nequit prohibere. At ergo ex sola revelatione et decidenda quaestio et reprobanda, si quae esset et esse posset diabolica *magia*.

## §. XVIII.

Cum ideo naturae lege bellum concessum sit, ut laedentem vel ad damnum illati reparationem cogamus, vel a damno inferendo retineamus, sequitur, quo vs-

H

que

que alter non reparat, vel a damno certo metuendo nondum securi sumus, eo usque nobis bellum permissum esse.

\*) Inde definienda est quaestio: *An bellum datur in infinitum.* Maxime omnia inde pendent, quid sub *bello in infinitum* intelligatur. Arbitror, tunc bellum in infinitum durare, si ab eo non desistamus prius, quam hoste interfecto. Quodsi ergo aut damna illati satisfactio a laedente obtineri nequit, aut a periculo certo metuendo securus esse nequeo, hostem occidere licet. Bellum ergo dabitur in infinitum. Contra, si laedens offerat satisfactionem, cessabit bellum, obterato fine propter quem permissum erat: hoc themate non dabitur bellum in infinitum. Ita sane recte PUFENDORFIVS <sup>de</sup> *O. H. et C. L. II. Cap. XVI. §. 6.* ait. *Qui hostem sese mihi declaravit; cum in hoc ipso sit professio extrema mala mihi intentandi; eo ipso quoque, quantum in se mihi indulget facultatem aduersus se in infinitum.* Non addo quae de humanitate dixerat, haec ad ethicam.

### §. XIX.

Et cum in bello vis coactioque licita sit, non tantum in hostis corpus licet agere vel vulnerando, vel occidendo, verum etiam in bona atque res hostis, et destruendo et eripiendo. Quare si hosti res eripio, statim dominus euado erepta-

ptarum rerum, donec vel ipse easdem recuperat, vel rerum restitutionem facta pace promitto.

## §. XX.

Nec peccat contra iustitiam is, qui hosti eripit nocendi seque conseruandi defendendique media.

## §. XXI.

Quia vero illata laesione in hostem cuncta licita sunt, quae belli finem respiciunt, non iniustae erunt *repressiliae*, quae in denegatione adimplendorum officiorum perfectorum consistunt, quo laedentem ad satisfaciendum cogamus.

\*) Adde PESCHWITZ *Diss. de repressiliis* et v. BYNKERSHOECK in *Quaest. Iur. Publ. L. I. Cap. 243*

## §. XXII.

Contra vero, si vel offerat laedens satisfactionem a laeso determinatam, vel securitatem contra laesionem inferendam cessabit bellum.

## CAPVT XLV.

## DE IVRE DEFENSIONIS.

## §. I.

Is vero a quo satisfactio bello exigitur ob laesionem vel illatam vel imputatam, si vel eandem nolit praestare, vel

non possit, vel quod cum innocens sit, se ad satisfaciendum non teneri putet, cum conseruationi propriae renunciare nequeat, naturali lege obligatus est ad suam *defensionem*.

\*) Haec ipsa defensio non tantum permessa est, verum quoque, quoties hostis meus bello contra meam agit conseruationem, a cuius studio praeter DEVM nemo me liberare potest, ipsa natura praecepta est.

### §. II.

Defensio consistit in applicatione medicorum, quibus belli vim aut avertimus aut reprimimus. Quapropter defendenti sese contra eum, a quo vim patitur, omne licitum id erit, quod laeso in laedentem seu hostem. Potest itaque contrario bello agere contra laesum bellum nobis inferentem.

### §. III.

Quicquid autem licitum est in bello contra hostem, id defendenti se armis quoque licitum erit hosti. Neque ergo armorum genus, nec insidiae, nec stragemata prohibita esse possunt in defensione.

### §. IV.

§. IV.

Haud vero iniuste agit, cum se defendat, si laedens sit, quippe obligatus est ad sese conseruandum, cuius suae conseruationis periculum patitur, at iniuste agere potest, quod alteri negando ob illatam laesionem satisfactionem, bello, sicque et defensioni causam dederit.

§. V.

Quapropter, si vltra quam praestare hostis potest, laesus bello satisfactionem postulat, neque de eius exactione desistit, iniuste non agit, si, ne ipse laedens occidatur, laesum occidat.

§. VI.

Neque iniustitiam committet, si cum laeso non possit resistere ob virium inaequalitatem, se subtrahat persecutioni.

§. VII.

Quod si vero vltterius se defendere nequit, vel arbitrio victoris sese submittere debet, vel id agere, vt pax inter se et laesum restituatur quibuscunque conditionibus possit.

- \*) An vero is, qui in bello victus resistere amplius nequit, possit ex iustitiae legibus postulare, vt pacem ineat victor, recte negatur. Liberum enim est victori, si suae se-

curitati conuenientius credat, occidere statim victum, vel si malit erepta libertate seruare. Contra vero neque victus cogi absolute potest, vt eas promittat quas pacis facit condiciones victor, dummodo suam ad quam obligatus est conseruationem non negligat.

## C A P V T XV.

## DE IVRIBVS PACIS.

## §. I.

**S**icuti ad vindicandam iniuriam et laesionem atque ad obtinendam satisfactionem, imo ad sui omnimodam defensionem *bellum* a natura concessum est, ita medium quoque bellum est, quo *pax* obtinetur.

## §. II.

*Pax* vero obtinetur ipso iure, simulac laedens armis coactus laeso, quam determinauit satisfactionem, offert eamque vel vere praestat, vel de praestando idonee ex arbitrio laesi cautionem offert.

## §. III.

Contra vero *pax* etiam fieri potest inter laesum et laedentem pacto quo, sibi in-

dat, occiden  
 epta libertate  
 vicius cogi  
 ar quas pace  
 modo firm  
 onem non

inuicem conditiones constituunt, sub quibus status pacis restituatur.

#### §. IV.

Haec pacis conditiones pacto firmatae vel concernunt aliam satisfactionis postulatae determinationem vel circumscriptionem, vel satisfactionis remissionem et communis tranquillitatis et securitatis restitutionem.

#### §. V.

Cum pacto restituatur pax inter bellicerentes, consensu id fiat necesse est.

et lar  
 satisf  
 defe  
 m  
 o

- \*) Neque exceptio contra pacis pactum erit, si victus armorum vi coactus fuerit, vt in quascunq; consentiat conditiones, quas victor posuerat. Non enim est iniustus illatus metus. Equidem AVCTOR in der politischen Historie der Staatsfehler, welche die Europäischen Mächte in Betrachtung der Häuser Bourbon und Brandenburg begangen, p. 123. pacti pacis valorem ex bello, an iustum, an iniustum sit iudicare videtur, et affirmat ex iniusto bello interne et externe iniustam fieri pacem; sed sic infinita durarent bella, nec vnquam firma quaedam pax existeret, quum nihil facilius affirmari possit, iniusto ad paciscendum bello nos fuisse coactos. Confundit absque dubio ipsam coactionem, et bellum subsequen-



tem consensum. Adde BOEHMERVM de  
*exceptione metus*, p. 62.

§. VI.

Non vero sola promissio pacis restituit securitatem, sed si quae in pacto pacis promissa, prius adimplenda sunt, his vero praestitis, arma abiicienda sunt, et restituitur status et iura, quae ante bellum extiterant innata et acquisita, nisi in pacto pacis quaedam immutata sint.

§. VII.

Neque inter quos antea bellum fuerat, licitum est praeter ea, quae pacto pacis constituta, quidquam exigere praetextu damni in bello dati, pactum enim pacis amnestiam et laesionum illatorum obliuionem ipsa natura imponit.

## APPENDIX.

### DE IVRIBVS SOCIETATVM, SEV COLLEGIORVM.

§. I.

**V**idimus, quae iusta quaeue iniusta sunt inter singulos homines; ex dictamine rectae rationis iam videndum quae

quae harum naturalium legum fit applicatio. Ante ergo omnia homines plures coniunctos dabimus, qui vnum quasi moralem personam constituunt, et ad hanc mysticam personam naturae iura applicabimus. Hinc appendicis loco *collegialia iura* adiicimus, quo facilius ad gentium iura transitus fieri possit.

## §. II.

*Collegium seu societas* est multitudo hominum moralium ad communem pacto et consensu constitutum finem obtinendum coadunata.

- \*) Facile patet nos non de hominum *multitudine* agere, qui vel ex libero arbitrio absque vlla pacti consociatione in idem consentiunt. E. g. Homines qui cognitionem eandem de Summo Numine, de obligationibus cultuque eidem exhibendo habent; qui internam ecclesiam constituunt, collegiam vero haud constituunt, cum non producat obligationem eadem cognitio, eadem animi cogitatio, nisi animus accedat, quo inuicem plures sibi cupiunt esse obligati. Dein ubi adhuc in I. N. versamur, de ea tantum adhuc agimus consociatione, quae fit inter homines in statu libertatis atque aequalitatis viuentes. Neque enim collegia in re publica constituta hanc membrorum singu-

lorum inter se aequalitatem reiiciunt, quamvis tota illa hominum confociatio respectu reipublicae imperio subsit. Quapropter facillima dein in iure ciuitatis erit applicatio, si tantum ea addimus, quae ex imperii notione addenda.

§. III.

Cum ad finem obtinendum sese confociarunt homines collegium constituentes, facile animaduertimus, iustitiam collegii pendere ex iustitia finis. Sicut omne pactum I. N. obligatorium est, quod non impingit in leges naturales, id est, cuius obiectum lege naturali prohibitum non est, ita omne illud collegium, cuius finis seu obiectum pacti legibus non prohibetur, iustum est et obligatorium.

\*) In republica non solae leges naturales iustum efficiunt collegium, sed videndum etiam, ne quid fiat obiectum collegii, quod civili iuri et publico et priuato contrarium, cuius causa imperii consensus requiritur.

§. IV.

Quoties vero plures inter se coniunctionem pacto constituunt ad obtinendum finem aliquem legibus naturalibus prohibitum, inter eos nunquam existere pot-

potest collegium. v. c. fac, plures se pacto inuicem confociare ad *rapinas latrociniaque* exercenda, nunquam inter eos nec dari potest obligatio, nec oriri collegium.

## §. V.

Confociatio illa plurium, cum sese coniungant pacto ad communem obtinendum finem, non tollit statum naturalem, hinc nec obligationes illas, quas inter homines morales naturae lex posuit, nec ex eo prouenientia iura. Est ergo status ille membrorum collegii *aduentitius*, saluo naturali statu, nisi suae aequalitati vel libertati prius renunciauerint homines, qui collegium sunt constituturi.

## §. VI.

Addit ergo collegii constitutio praeter eas, quas ex lege naturae obseruant homines obligationes, nouam aliquam arbitrariam hypotheticamque obligationem, vt id scilicet agant, quod finem collegii obtinendum concernit, propter quem sese confociarunt.

## §. VII.

Hinc quidquid iuris est inter homines in statu naturali viuentes, id quoque iuris

ris est inter socios, et quidquid hominibus in statu naturali prohibitum est, id inter socios permissum esse nequit.

### §. VIII.

At vero cum pacto societatis vnum corpus socii facti sint, patet applicatione facta, quidquid iuris est lege naturali singulo homini, id iuris erit collegio tanquam vno corpori, et quidquid prohibitum est lege naturali, id collegio tanquam vno corpori permissum esse nequit.

\*) Maxime vero haec, si collegium coniunctum vel ad alios eosque singulos, qui collegii membra non sunt, vel etiam ad alia collegia societatesque referas. Nisi ergo inter has personas vel pactitiae obligationes, vel in ciuitate ciuiles leges quidquam singulare disponant praeter leges naturales, hae vnicus fons definiendorum inter illas obligationum iuriumque permanent.

### §. IX.

At vero inter socios ipsos oritur confociatione pactitia noua hypotheticaque obligatio, omnia illa peragendi, quae ad finem communem, quem socii paciscendo sibi posuerunt, pertinent.

### §. X.

## §. X.

Cum vero finis societatis obtinendus arbitrarius sit, media quoque ad illum consequendum arbitraria esse possunt. Hinc possunt communi sociorum consensu pacto definiri. Quilibet itaque sociorum obligatus est, ad omnia ea obseruanda implendaque media, quae a societate pacto, seu, vt vocant, *statuto* praescripta sunt.

\* ) Inde ergo *statutorum* ratio, quae obligant ex consensu sociorum seu collegarum, quaeque in regula media definiant ad finem consociationis obtinendum proficua. Sequitur inde, nihil in his statutis posse statui, quo medium comprobaretur, quod *legibus* contrarium prohibitumque *naturalibus*, et si in ciuitate existit collegium, ipsis *ciuilibus*, quo venit, vt in statutis collegiorum confirmatio ab imperio obtinenda requiratur in ciuitate.

## §. XI.

Societas seu collegium cum partium consensu constituitur, vel *ad tempus*, vel *indefinite* constitui potest. Finis vero collegii, si temporarius tantum, efficiet, vt sua natura *temporarium* sit collegium; Eo enim obtento, coniunctionis causa cessante, expirabit collegium.

## §. XII.

## §. XII.

Contra si finis consociationis ita comparatus est, ut amplius duret, indefinite constitutum collegium eo usque durat, quo usque existunt membra, quae in consociationis illius finem consenserunt. Durat itaque inita societas, licet ii mortui, qui primum in finem communem consenserant, dummodo constituto semel collegio noua membra recepta fuerant.

## §. XIII.

Membra vero, qui ad collegium iam constitutum accedere cupiunt, recipi non possunt, nisi consensu totius collegii, cum quo nouiter paciscuntur. Recepti vero ad omnia ea obligantur, ad quae socii seu collegae reliqui obligati erant.

## XIV.

Contra si postea quaedam membra recepta sunt, omnibus quoque fruuntur, iuribus, quibus fruuntur, quae primum membra facta sunt collegii.

\*) Quapropter si quae pacto primi socii a quibus societas fundata est, iura sibi perfecta vel in aliis non membris, vel in aliis societatibus acquisiuerunt, his iuribus fruuntur quoque membra quae postea acceperunt, neque praetextu, quod primi paciscentes mortui, obli-

obligatio denegari potest. Neque obstat, quod heredes in l. N. negauimus. Hic enim non hereditario iure haec perfecta acquirunt iura, sed ex idea collegii, cuius sunt membra facta.

§. XV.

Iam, cum, vt supra diximus, inter socios perfecta obtinet aequalitas, hoc non prohibet, quo minus vni alterique communium rerum ad societatem pertinentium directionem conferre possint, salua aequalitate, neque ea directio subiectionem inuoluit reliquorum membrorum, nisi eam expresse membra consensu comprobauerint.

\*) Inde societatum est diuisio in *aequales* et *inaequales*, quales sunt ciuitates, de quibus *Jus Publicum vniuersale*.

§. XVI.

Quod si vero omnium in se sociorum est aequalitas, quae pacto consociationis sublata non est, nisi de eo expresse pactum; sequitur, si quae inter socios statuenda, haec demum omnia vnanimi sociorum consensu probari posse.

\*) Est enim natura aequalitatis, vt quiuis suo, non aliorum consensu obligetur. Quare si pluralitatem votorum inter socios obligatoriam dicamus, semper voluntas eorum, qui  
aequa-



aequalem numerum excederet, reliquis necessitatem ad eam agendi imponeret, quo ipso aequalitas sublata foret. Aequalitas enim postulat, ut inter aequales nemo plus minusue iuris habeat, quam alter. Secus vero si inter aequales socios id semel comprobatum pacto, ut omnia votorum pluralitate ementiantur.

## §. XVII.

Cum vero totum collegium iisdem fruatur iuribus naturalibus, tanquam corpus mysticum, quibus singulus homo moralis; potest et collegium res acquirere, iis uti, abuti, alios ab usu possessioneque excludere deque iis disponere. Hae res sunt *uniuersitatis*, quarum usus omnibus membris communis, nisi de iis inter membra specialia adsint pacta, quae usum aliter definiant.

## §. XVIII.

Cum tandem nemo collegii socius fieri possit, nisi collegarum omnium consensu, id est, pacto; sequitur neminem unilaterali dissensu ex collegio recedere posse, quippe pactum unilaterali dissensu dissolui nequit.

## §. XIX.

§. XIX.

Sicut omnis vero alterius iuris perfecti siue innati, siue acquisiti turbatio laesionem continet, ita socius, quoties agit contra obligationem quam toti collegio debet, laedit collegium eiusque fit hostis; Obligatur itaque ad satisfactionem a collegio determinatam propter illatam laesionem praestandam.

§. XX.

Quam si negat praestare satisfactionem damnaeque reparationem, hostis fit collegii. Hinc desinit esse socius collegii, et ab eodem bello cogi potest ad reparandum damnum, seu praestandam satisfactionem.

\*) Quodsi vero socius socium turbauerat in suis iuribus communibus, quae non ex consociatione proueniunt, nec ad finem collegii pertinent, collegium laesum non videtur, nec hostis fit collegii, licet hostis factus socii, nisi simul in collegio communis defensio stabilita pacto, vel inter socios constitutum, ut socio illata laesio, omnium sit laesio.

§. XXI.

Sicut vero societas laesiones perpeffas potest vindicare damnumque resarciendum aestumare; ita licet quoque poe-

I

nas

nas statuere conuentionales obligationum transgressionibus, quae nihil sunt nisi euentualis determinatio satisfactoris praestandae. Qua propter praestita hac poena conuentionali ab eo, qui collegium laeferat, cessat laesio, nec hostis fit societatis, nec desinit illius esse membrum.

## §. XXII.

Denique sicut collegium communi consensu membrorum colligatum est, ita communi quoque vnanimique omnium dissensu iterum tolli potest. Quod si vero vel ad *certum finem temporarium* consociatio facta, vt supra monuimus, vel ad *certum tempus* collegium constitutum fuit a consentientibus sociis, non est dubium, quin obtento fine temporario, vel elapso tempore consociationis, obligatio expiret.

## §. XXIII.

Tandem et *mortem* patitur collegium si singula membra moriantur haud receptis nouis, qui in se iura et obligationes collegii receperunt.

---



---

## SECTIO II.

CONTINENS

APPLICATIONEM IVRIS NATV-  
RAE AD GENTES LIBERAS.

SEV

# IVS GENTIVM.

---

CAPVT I.

DE NOTIONE GENTIS ET  
IVRIS GENTIVM.

§. I.

**Q**uamuis a naturae sapientissimo conditore perfecta omnibus hominibus data sit aequalitas atque libertas, qui aequalitatis libertatisque status diuinae voluntati conuenientissimus est; tamen deseruerunt homines hunc primum statum atque demum *inaequales* comprobauerunt *societas*, quarum focii facti, aliorum arbitrio et nutu se subiecerunt.

I 2

§. II.

## §. II.

Hae societates inaequales potiores dicuntur *ciuitates*. *Ciuitas* est societas multorum hominum pacto consociatorum ad obtinendum communis securitatis et defensionis finem, sub *imperio* constituto.

## §. III.

Sicuti vero, quamprimum haec coniunctio inaequalis initia cepit, quaeque prima fuerit ciuitas, quae demum illius fundandae prima causa extiterit, ad facta pertinet et magis probari, quam demonstrari potest, ita ex illius fine concludi potest, improbitatem hominum causam dedisse huic societati inaequali.

\*) Equidem multi, qui in iure publico vniuersali explicando versantur, vbi de origine rerumpublicarum disputant, earum originem inueniunt in *republica Cainitica*. Sed quidquid etiam dicant, haec admodum rerum argumentis contraria videtur opinio. Cum enim ad rempublicam formandam multitudo consocianda requiratur, vnde illam habuerit Cain, vt in noua sua republica, quam somniant, subditos et populum habuerit. Conscia mens Cainis iniuste occisi fratris metum excitabat, ex quo securitatem quaerebat, quam ita consequi posse arbi-

arbitrabatur, si in locum separatum se conferret munimentumque extrueret in quod se recipere posse tutumque satis fore putabat. Non hęc respublica, non imperium, non populus aliquis, sed familia tantum. Sed etsi forsan hæc familia temporis lapsu abierit in rempublicam, tamen, si vt credunt, totum humanum genus perit diluuiio, quid nobis cum illa republica Cainitica. Iam alii Nimrodum primum monarcham reipublicaeque conditorem dicunt. Sed sicut sacrarum literarum autoritas hunc ipsum latronem improbum describat, ita hic ipse magis autor videtur fuisse seruitutis inter homines. Hos enim, quos suppresserat, non ciues inter se ad communem finem confociatos effecit, sed erepta libertate seruos, restituta ea latrones. Nec regis appellatio me in aliam mouet sententiam, *despota* enim et *rex*, vt orientis semper fuit et adhuc est mos, interdum synonyma videntur. Hinc quam causam introducentium imperiorum et ciuitatum vel in metu, vel in violentia inueniunt, neutra satis adaequata videtur. Vis enim adhibita seruum efficit, non ciuem, cui libertas superesse debet aliqua. Dein vis quidem efficere posset obligationem inter suppressorem et suppressum, sed vnde esset obligatio inter suppressos ipsos, quae adesse debet inter ciues. Ex vi esse nequit, multo minus

ex pacto, quippe suppressorum voluntas a voluntate domini pendet, ad pactum vero liber consensus requiritur. Familias itaque servorum effecit vis et latrocinium. Neque metum causam crederem, qui pacis defensionis primis inter homines causam dedit, sed inde non sequitur, ideo se subiecisse alterius imperio, ut suppressionem aliorum euitarent. Quare puto, sese consociasse homines defensionis causa et securitatis ex providentia aliqua, ne, si singuli essent, libertatis periculum paterentur ab improbis; postea, quo hanc suam securitatem rectius tuerentur defensionemque obtinerent, imperantem constituerunt, qui media praestaret ordinemque curaret, ut aggressi vel laesi se rectius tuerentur atque defenderent. Quare etiam primorum regum praecipuum fuit, ut populum pugnantem contra hostes ducerent et inter ciues iudicarent. Sed haec haecenus, plura alibi dabimus.

## §. IV.

Cum non ex naturae ordine et iure civitatum origo peti possit, sequitur omnem illam conjunctionem pacto originem et obligationem suam debere.

\*) Male ergo qui voluntati divinae originem imperiorum tribuunt. Primum enim voluit DEVS, ut homines sint *aequales*. Ergo non

non potuit simul contrarium velle, neque sic prima ordinasse imperia; at *permisisse* eundem, vt ad finem securitatis huic suae libertati renunciarent, sicque imperia introducerent, dubium non est. Adde BOEHMERVM in *Iur. Publ. vniuers.* et TREVERRVM ad *Puf. de O. H. et C. L. II. C. VI. §. 14.* qui opinionem, immediate imperia a DEO constituta, *dominationis arcanis* tribuit.

## §. V.

Cum itaque ciuitas originem debeat pacto, cuius causa in *studio defensionis* posita, sequitur in omni ciuitate primum fundamentum ponendum in *pacto defensivo et unitiuo*.

## §. VI.

Oritur inde, vt omnes illi consociati tanquam vna considerentur moralis persona mystica, et vt inter singula membra communis inuicem oriatur obligatio.

\*) Quare peccare et inde mihi videntur, qui originem dant ciuitati violentiam. Fac enim Nimrodum ducentos sibi per vim subiecisse, posset dari nexus inter Nimrodum et singulum suppressum, sed vnde vinculum commune habeamus inter ipsos suppressos? ideone obligatos habeamus, quod aequalem calamitatem perpeffi?



## §. VII.

Sequitur, inde, ciuitatem ab iis constitui tantum potuisse, qui pacisci inuicem poterant.

- \*) Qua propter erroris accusandi, qui ciues subditosque nasci arbitrantur. Nunquam enim in homine accessoria et superueniens obligatio, qualis ciuium, qualis subditorum, ex natiuitate provenire potest, nisi communi consensu contrahatur; at ciuium et subditorum obligatio est superueniens et accessoria, quippe natura omnes aequales efformauit, ita minime innata quasi illa communis obligatio esse potest.

## §. VIII.

At vero cum ex pacto illo defensiuo et vnitiuo singulis datur consociatis in singulos ius perfectum cogendi, vt id agant quod ad finem consociationis pertinet, enatum est *pactum imperii*, quo ipso ciuitas effecta fuit.

- \*) Male PVFENDORFIUS de Off. H. et C. L. II. Cap. VI. §. V. vniri non posse animos hominum et voluntates citra imperium constitutum arbitratur. Possunt vtique, dum quiuis suae obligationi faciat satis, plures solo defensionis pacto tueri securitatem pacemque suam, quamuis id ob multorum forsitan consociatorum iniustitiam metuen-  
dam

dam, per imperium constitutum facilius poterit obtineri.

§. IX.

Imperium est facultas cogendi cives et subditos ad ea agenda, quae conveniunt fini consociationis, mediaque definiendi determinandique, quibus finis obtineri debet.

\* ) Caue ergo imperium confundas cum *despotieia* seu dominatione. Haec omnem adimit libertatem atque servos efficit, sicque subiecti, non cives videntur, sed servum pecus domini arbitrio submissam. Contra imperium non tollit libertatem, sed ad consociationis finem et determinata media restringit, et huc vsque parent.

§. X.

Exercitium autem imperii dicitur *maiestas*, sine qua civitas existere nequit, sic ut imperium a pacto consociatorum pendet, ita hi ipsi constituent, per quem velint imperium exerceri. Determinatio itaque a consociatis facta, per quem imperium exercendum, dicitur *forma reipublicae*.

§. XI.

Haec forma reipublicae vel *Monarchiam*, vel *Aristocratiam*, vel *Democratiam*

constituit. *Haec est*, si imperii exercitium seu maiestas ab omnibus consociatis membris ex consensu peragitur, *illa*, quando consociati illi ciues imperii exercitium vel maiestatem collegio cuidam ex ciuibus constituto commiserunt. *Ista* demum praesupponit, vni hoc exercitium imperii seu maiestatem commissam esse, qui inde *monarcha* dicitur.

\*) Hae ciuitatum formae *regulares* dicuntur, habent et alias quae *irregulares* vocantur, de quibus agit *Ius publicum vniuersale*.

## §. XII.

Sicut autem forma reipublicae diuersitatem personae imperium exercentis complectitur, neutiquam vero diuersitatem imperii ipsius; ita in omni forma imperium idem existit, licet interdum pactis fundamentalibus seu iis, quae consociati vel cum persona maiestatem habente siue physica siue mystica inierunt, limitatio quaedam addita sit. Qua propter monarcha in monarchia plus maiestatis haud habet, quam optimates in Aristocratia et populus seu consociati ciues in Democratia.

## §. XIII.

## §. XIII.

Hi itaque confociati homines seu ciues coniunctim *populum* constituunt, qui *populus* cum *sua maiestate* simul sumtus *gens* vocatur. Non ergo solus *populus* gentem efficit, nec sola maiestas; in ciuitate enim *populus* non est sine maiestate, cum imperium constituat differentiam a reliquis confociationibus et collegiis, nec maiestas cogitari potest sine populo.

## §. XIV.

*Gens* seu *populus* cum maiestate constituit personam mysticam, quae cum ex personis moralibus inter se vnitis consistit, necessario iisdem fruatur iuribus et tenetur obligationibus, quibus singulae personae morales ex lege naturali et fruuntur et tenentur.

## §. XV.

In gente vero triplex consideranda est relatio. Vel enim confociatorum ciuium sub imperio invicem consideranda sunt iura et obligationes, haec coniunctim audiunt *priuatam ius ciuile*, quae si ex naturalibus legibus applicatis veniunt, *uniuersale*, si ex arbitrariis rationibus

nibus per imperium existunt, *particulare* appellantur.

### §. XVI.

Vel ponderanda sunt iura populi et maiestatis a populo constitutae atque obligationes inuicem, quae *publicum* ius audiunt. Haec si ex naturalibus legibus diiudicantur, *uniuersale*, si ex pactis inter maiestatem et populum initis deducuntur *particulare* appellantur.

\*) *Particulare* Ius Publicum cogitari nequit, nisi *uniuersale* statuatur, quare absque huius cognitione, nemo in illo magnus erit, vel quod partem tantum arbitrarium sciat, ubi vero pactum vel lex fundamentalis deficit, causaque dubia atque litigiosa oritur, accuratum ei deficiet decidendi medium, quicquid dicant, quibus *uniuersale* illud *publicum* ius videtur figmentum, qui sunt huius iuris imperiti osores. Prodimus plerumque imperitiam taxando scientiam, qua ipsi haud sumus imbuti; peritiores rei aliter.

### §. XVII.

Vel demum positis pluribus gentibus, quarum existentiam ostendit experientia, harum inter se iura et obligationes si constituimus, coniunctim *Ius gentium* vocantur, et vel cum persona moralis sit quaequae gens ex applicatis legibus

gibus naturalibus colliguntur *Ius gentium* κατ' ἐξοχὴν seu *uniuersale* vocatur, vel oriuntur illa iura et obligationes ex pactis et conuentionibus inter quasdam gentes initis, *particulare vel positium* dicendum erit.

- \*) Significatus *Iuris Gentium* valde ambiguus est, quod et ex Libris Iuris ciuilis patet, in quibus vel vera gentium iura complectitur, vel naturae ius indicat, vel arbitrarias et spondaneas gentium actiones denotat. Valde vero controuertunt et de vera gentium iuris *notione*, et de vero illius *fundamento*. Quidam plane ad *humana iura* referunt, quas humana necessitas introduxit. Hi vel particulare ius, ex pactis quarundam gentium proueniens, et arbitraria instituta tantum sciunt, atque confundunt, ipsa iura gentium ignorant. Aut enim haec arbitraria nituntur pactis, e. g. fac pactos esse Gallos, Anglos, Batauos, Danos de legationibus, de commerciis, de seruandis quibusdam ceremoniis in bello, de nauigationibus, quis ex inde ius deduceret, ex quo de his ipsis rebus ortas lites cum aliis, v. c. Suecis, Lusitanis, Hispanis, Russis, &c. diiudicare possit. Pacta enim obligant consentientes, haud vero alios, qui haud consenserant. Aut arbitrio, non interveniente pacto, quaedam sponte a quibusdam gentibus

bus hæcenus vniformiter agi consueuerunt. Vnde vis obligandi, sine qua ius nec dici, nec cogitari potest? Ex propria cuiusuis gentis voluntate sola esse nequit, nemo enim sibi ipsi legem dicere potest. Ex facto forsan, quasi consuetudo quaedam inde orta et sic ius non scriptum? Neque hoc; ex facto enim ius non deducitur, sed factum ex iure diiudicatur. Et vnde habeat vim iuris non scripti, quod existere nequit, nisi tacita maiestatis voluntate et consensu, qualem vero communem maiestatem, qui tacito suo consensit inter gentes consuetudinem confirmare posset, ipsae gentes non habent. Inde ea *arbitraria instituta* gentium ius dici non possunt, et si ita compellentur, fit valde abusive. At vero non nego, haud facile ab his recessuras esse gentes, quae hæcenus agere inter se consueuerunt. Interim posito, deferere gentem morem agendi hæcenus vsitatum, vnde altera gens se in suo perfectio itre tunc laesum dicat, cum hæcenus altera gens nullo vinculo iuris vniformiter agere consueuerat? Quae cum ita sint, haec vnica vera rectaque Gentium Iuris notio, hoc illius verum fundamentum est, quod ex *applicato naturali iure ad gentium tanquam personarum moralium mysticarum facta* desumitur. Inde recte GRIEBNERVS in *Princip. Jurispr. natural. L. III. Cap. I. §. 2.* adfirmat *partem esse iuris natu-*

*naturalis, adeoque diuinum ratione originis, et connatum et perpetuum et vniuersale.* Ita et alii sentiunt, quos adscribere omnes superuacuum.

### §. XVIII.

Cum *Ius Gentium* nihil aliud sit, quam applicatum Ius naturae ad liberarum gentium facta, sequitur, quicquid iuris est inter homines singulos in statu naturali viuentes, iuris quoque est inter singulas gentes liberas.

\*) Sunt, qui quoties de Iure Gentium disputant, eas tantum gentes subintelligunt, quas *moratiores* vocant. Sed notio gentis *moratiores* ex praeceptis humanitatis, imo haud raro decori regulis eruenda, et cum plerumque eas gentes qui commodiorem politiorumque vitae cultum, socialitatem magis urbanam ciuium dant, *moratiores* vocent, non qui rectius secundum virtutem, cuius rarior in gentium factis diiudicandis mentio, nec haec ad iustitiae leges respiciat, viuerent, notio illa accidentatem qualitatem denotat tantum, quae essentiam mutare nequit. Gens ergo erit, licet minus *morata* sit, licet *barbara* dicatur. Fruatur ea suis iuribus, impleat suas obligationes necesse est. Hinc ad omnes omnino gentes spectat gentium ius. Nec religionis disparitas, quo elegans spectat Philosophia de



ICKSTATT in *Element Jur. Gent. L. III. Cap. V. §. 7.* nec viuendi diuersa conditio, nec diuersa terrarum plaga gentium iura immutabit.

## §. XIX.

Qua propter nec aliud erit Iuris Gentium cognoscendi principium, quam quod ius naturae agnoscit, sc. nullam gentem turba in suo iure perfecto, vel ne quae gens alterius gentis turbet pacem externam.

## §. XX.

Cum autem *Ius naturae* alia iura connata alia acquisita traderet, ita etiam inter gentes ea, quae ex ipsis legibus naturalibus applicatis oriuntur iura, connata quae vero sibi acquirunt vel circa res vel circa personas seu alias gentes, erunt acquisita.

## §. XXI.

Quae actiones itaque a libera gente susceptae alterius turbant gentis iura siue connata siue acquisita eae iniustae sunt actiones, dummodo autor actionum illarum gens agens dici possit.

## CAPVT II.

## DE STATV GENTIVM.

## §. I.

**C**um in hominem homini in statu naturali nullum competit imperium, cum inter omnes perfecta sit aequalitas; sequitur, applicata hac lege naturali, genti in gentem imperium nullum competere posse, sed inter gentes ipsas perfectam esse aequalitatem.

\*.) Non negamus obinde, suppressas esse gentes, aliarum imperio; sed ex naturali statu illa suppressio non est, potius ex superueniente causa vel victoria scilicet, vel pacto.

## §. II.

Cum gentes ex statu naturali sunt aequales, infertur, easdem perfecte liberas esse, hinc cuius genti competere ius suas actiones ad finem, quem intendit, determinandi.

\*.) Neque haec libertas tollitur nec aequalitas. I.) Si gens se, *tutela* alterius gentis committat pacto. Est enim hoc pactum tantum species *pacti defensionis*, quod in se non inuoluit subiectionem et statuit imperium, atque dependentiam; II.) In *systemate ciuitatum*. Nititur illud pacto defensionis et unionis plurium gentium inter se, vt respectu aliarum gentium pro vna gente habeantur, maneant tamen in se *diuersae* gentes

K

liberae

liberae et aequales, ita vt singulis gentibus unitis in rebus, quae ad foedus unionis sese non referant, liceat, ex suo arbitrio agere, cum aliis gentibus non unitis contrahere et omnibus iuribus libertatis et aequalitatis frui. Hinc vero vera adest subiectio nec systema ciuitatum vocari nec liberae gentes recte dici possunt, quae communem maiestatem agnoscunt, licet iurium maiestaticorum exercitium limitatissimum sit, qui communem sibi iudicem constituunt eiusque iurisdictionem agnoscunt, sententiis parent, poenis statui et exequi patiuntur, leges verentur.

## §. III.

Ipsa vero gentium aequalitatis causa est, vt nulla gens prae altera praediam possit praetendere, licet gens vna potentior altera, vel vna monarchicum imperium, altera vero aristocraticam vel democraticam formam approbet.

\*) Quare si interdum quaedam praedria seruantur, haec paci magis est, interdum urbanitatis et politiae. Male vero ROUSSEAUVS *Memoires sur le rang et la preéance* praecedentiae et ordinis ius ex naturae lege deducit. vid. *Illustr. GUTHSCHMID Diff. de Praerogativa Ordinis inter legatos p. 10.*

## §. IV.

Et cum libertate perfecta fruuntur gentes inter se, nulla gens alteri praescribere potest, quas vel committere vel

omit-

omittere altera gens actiones debeat, nisi obligata sit gens vel lege, vel pacto ad quasdam actiones vel committendas vel ommittendas.

§. V.

Tandem cum forma reipublicae externa ad accidentalia ciuitatis spectet, sequitur gentem status sui aequalitatis et libertatis non pati iacturam, si formam mutet. e.g. fac, monarchiam extincto monarca nec existente aliquo, cui succedendi ius competit, consensu populi, ad quem tunc maiestas venit, mutari in democratiam vel aristocratiam, vel democratiam mutari in monarchiam; nihilominus retinebit iura libertatis et aequalitatis.

§. VI.

Et cum gentes liberae sunt atque aequales, cuique genti competat necesse est ius non modo suam tueri aequalitatem atque libertatem, verum etiam, quousque haud placeat communi omnium consensu pactitium soluere nexum ciuilem, suam curare conseruationem.

§. VII.

Inde vero sequitur quamque gentem obligatam esse, ne alterius gentis conseruationem impediatur vel turbetur, imo, ne

quid agat, quod contra libertatem aequalitatemue sit alterius gentis eandemque destruat.

## CAPVT III.

DE IVRIBVS GENTIVM IN RES  
ET DE MODIS ACQVIRENDI.

## §. I.

**S**icuti homini in Statu naturali competit ius rebus, quibus velit ad conseruationem et felicitatem, imo commoditatem vti abutique; ita idem ius genti qua corpori mystico ad suae consociationis finem obtinendum scilicet securitatis, defensionis, quin etiam conseruationis competat necesse est.

## §. II.

Quapropter cum vsus abususue haberi nequeat nisi prius possessa re; ita genti aequae competit ius possessionem acquirendi rerum, quibus vti aut abuti cupit, modo nemo sit, qui turbetur in suo iam in re acquisito iure.

## §. III.

Nihil ergo impedit, quominus et gens occupet res cum intentione sibi habendi nondum occupatas atque possessas, quibus occupatis, fiunt gentis *propriae*. Huius ergo possessionis effectus consistit in hoc

hoc, vt non tantum vti abutique iis possit, verum etiam, cum aliis abstinendum sit ab occupatione rerum occupatarum, alios ab earum occupatione et possessione excludere, qui effectus simul summi *dominum* constituunt.

§. IV.

Neque potest non competere genti *facultas* libere de re propria *disponendi*, vi cuius facultatis vel poterit rem hactenus propriam denuo *nullius* efficere, vel in alium *aut* cum omni *aut* cum aliquo iure *transferre*.

§. V.

Res vero, quae gentis propriae sunt, duplicis generis sunt. Aliae enim toti genti immediate propriae sunt, hae *publicae* dicuntur; aliae vero mediate propriae gentis dici possunt, quae singulis membris populum constituentibus propriae sunt, quae *privatorum* appellantur.

\*) Haec distinctio praecipue hoc nititur fundamento. Ciues, qui sese imperio communi subiecerunt consociati, non tantum finem habuere communis securitatis totius videlicet gentis, sed singuli etiam propriae conseruationis atque securitatis et defensionis causa

se se confociarunt. Neque tantum haec ipsa securitas atque defensio personas concernebat, sed et in rerum suarum possessione defendi volebant. Oritur inde communis quoque obligatio singulorum ad ea ferenda onera, quae finis ille communis exigit. Sunt inde singulorum bona toti genti nexa respectu finis communis. Hoc ergo ius, quod tota gens in singulorum bonis habet, efficit ut singulorum bona toti genti propria videantur, inde et a nonnullis *dominium supereminens* dictum. Caeterum quantae de hoc dominio eminenti controuersiae agitatae sunt, quamque nominis appellatio interdum taxata sit, non adscribam. Conferri potest HEINECCIUS in *Elem. Jur. Nat. et Gent. L. II. §. CLXVIII.* \* et BOECLERI *Dissert. T. I. n. 28. p. 825.* Hoc moneo, quod et recte *Heineccio* placuit, logomachiam potius agitatam, et re recte explicata terminum ex nullo idoneo fundamento proferri.

## §. VI.

Cum ergo gentis res aliae sint publicae, aliae priuatae, et genti tanquam dominae competat ius libere disponendi de rebus suis, recte oritur quaestio, an gens etiam de priuatis libere disponat? et arbitror quod sic, dummodo necessitas gentis illiusque confociationis finis exigat.

\*) e.

\*) e. g. Si gens cum altera de transferendo dominio in res immobiles ciuis alicuius paciscatur, an in praeiudicium illius ciuis hoc valeat pactum? recte valebit, si necessitas id urgeat. Non aequè, si utilitas id suadeat tantum: oritur enim collisio inter iustum et utile. Nulla vero lege sequitur utile publicum iusto priuato anteponendum. Ideo enim ciues facti, vt in tota gente securitatem habeamus et nostri corporis et nostrarum rerum, accepta obligatione, vt ad finem consoziationis obtinendum nostra conferre velimus. Si ergo finis exigat, recte quibus ciuis tenetur. At obinde tantum, quod utilitas sola suadeat publica, ciuim, qui consoziauerat se ad sua conseruanda iura, suis spoliare rebus, iniustum videtur. Utilitatem vero priuatam postponendam communi seu publicae, nemo negat.

## §. VII.

Acquirat vero gens dominium in rebus nullius occupatione et pro vt mediata vel immediata est, seu quod idem si vel a ciue tantum fit, vel a tota gente, seu illius nomine, fiunt res vel priuatae gentis, vel publicae.

\*) Non aequè si deriuatiua sit acquisitio, non semper fit res gentis priuata, ne quidem semper publica. v. c. Si ciuis vnus gentis in alterius gentis territorio acquirat fundum,



manentes privata gentis, cuius hactenus fuerat, non fit gentis e. qua civis est, qui acquirit. Sic nec mutat naturam ipsa res, quae a gente tota acquiritur. e. g. Si fundus a gente genti in feudum datur, non cessat ius gentis quae in feudum dat, nec acquirentis gentis fit res publica, sed gens acquirens fit vasallus.

### §. VIII.

Neque dubitandum est; occupatione rerum hostium acquirere gentem dominium.

### §. IX.

Amplius traditione rei gens a gente acquirit rerum dominium, si praecedat titulus ad transferendum dominium habilis.

### §. X.

Et sicut singuli homines acquirunt dominium per res suas accessione, ita negari nequit gentem etiam valide per rem suam accessione dominium acquirere posse.

### §. XI.

Contra vero pactum per se dominium nec genti tribuere potest, nisi vel superveniat ex pacto rei traditio, vel apprehensa possessio,

\*) Adfunt

\* ) Adfunt quidem themata in quibus inter gentes videtur pactum efficere posse, vt rerum dominium videatur in alteram transiisse; sed re accurate perspecta semper superueniet vel traditio vel occupatio seu apprehensa possessio. Inde explicanda illustris ea controuersia, si flumen terminus inter duas adfines gentes pacto constitutus, postea alueus mutatus, an termini terrarum vtriusque gentis simul mutati sint. Diuersa ratione eam quaestionem GROTIVS de *J. B. et P. L. II. Cap. III. §. 17.* et GVNDLING in *I. N. Cap. XX. §. 8* decidunt. Arbitror distinguendum esse qualiter gentes inter se pactae. Si enim ita pactae, *flumen uti quoquo tempore fluat, ita terminus esto*; dubitandum non est, mutato fluminis alueo, terminos finesque mutatos, neque tamen pacto statim transibit dominium, sed vacua pars terrae tunc alteri genti cedenda est, vel eandem occupare seu eiusdem possessionem apprehendere altera gens debet. Contra vero si pactae: *Flumen terminus esto*, verius est mutato alueo, terminos mutatos non esse, explicanda enim est voluntas partium ex ratione temporis, quo paciscebantur, neque illa aluei mutatio efficere potest, nisi consensus superueniat, vt rerum terrarumque possessionem gens amittat, et hinc etiam dominium. Quae sententia eo certior erit, si ita gentes pactae: *Flumen uti nunc est, ita semper terminus erit*. Alueus fluminis eiusque

insque constituit gentis fines, eoque mutato ex intentione paciscentium termini non mutantur. v. *Specim. nostrum, Quaestion. illustrium iur. nat. Cap. II.*

§. XII.

Neque etiam vsucapione vel praescriptione dominium inter gentes acquiritur. Simulac enim fide bona gens rei vacuum possessionem apprehendit, domina est, nec opus, vt prius annorum lapsus, qui lege aliqua vniuersali determinari nequeunt, accedat. Sin vero sciat gens, rem ad alteram pertinere, sicque malae fidei possessionem acquirat, alteram gentem laedit, sic eius fit hostis, eidemque ad praestandam satisfactionem tenetur ad quam bello cogi potest. v. *Part. Spec. Sect. I. Cap. VII. §. XII. \**

CAPVT IV.

DE OBLIGATIONIBVS GENTIVM  
PERSONALIBVS.

§. I.

**O**bligatio seu vinculum iuris cuius necessitate adstringimur vel ad dandum, vel ad faciendum, vel praestandum ergaue inter gentes vel immediate ex lege eniet, vel mediate ex facto. Haec vero  
facta

facta vel licita sunt et conditionem comprehendunt, vel iniusta; et tunc ad laesiones et belli causas se referunt.

§. II.

Conuentio illa qua gens genti consensu se obligat ad aliquid dandum, praestandum faciendumue *pactum gentis* dicitur. Hoc ex obiecto et fine diiudicandum. Si enim illius obiectum et finis legi naturali contrariatur; illius penitus nulla esse potest obligatio.

§. III.

Contra vero si obiectum et finis pacti inter gentes initi non repugnat legibus iusti, aequae sanctum est ac inuiolabile, neque cum utriusque consensu initum citra iustitiae laesionem ab eo recedi potest, licet forsan ex adimplemento gens damnum aliquot sentiat, modo non contrarietur conseruationi gentis, consentiendo enim suae circa finem promissi renunciauerat libertati in agendo.

\*) Quapropter iniustissima est eorum opinio, qui putant inter gentes liberas eoque pactum obligare, quousque alterius utilitati conueniat. Nunquam enim potest iustum subordinatum esse utili, alias nihil sanctum nihilque amplius inter gentes inuiolabile esset, quod non, prout cuique genti placeret, prae-

praetextu utilitatis rumpi posset. Quid ergo prodesse foedera, quid paces pacto firmatae, quid reliquae gentium transactiones?

§. IV.

Cum ex consensu vis obligationis veniat in pacto, sequitur, nihil interesse, an una gens potentior sit altera, an moratior, an diuersam habeat religionem. Sed obligatur potens minus potenti, moratior, barbarae, fidelis hereticae et infideli genti ex pacto inito.

§. V.

Quodsi vero pacta inter gentes obligatoria esse debent, perfectus gentium paciscentium consensus adsit necesse est. Nudi ergo tractatus nunquam obligant. Neque scriptura, neque alia quaedam solennia ad pacti vim obligandi quid conferunt, quanquam negari non possit, probationis causa, scripturam ad gentium pacta adhiberi.

§. VI.

Obiectum et finis pactorum quidem semper ab arbitrio gentium pendet paciscentium, tamen inter gentes quaedam illustriora pacta sunt memorabilia: utpote *foedera, Garantiae, pacta commerciorum,*

orum, neutralitatis, induciarum, de redimendis captiuis et remittendis militibus, fugitiuis deque pace.

§. VII.

Celebratissima ergo sunt. I. *Pacta defensiva* seu quae *foedera* dicunt, quibus inuicem paciscentes sibi mutua promittunt auxilia, simulac vna gens paciscentium iustam habeat belli causam. Haec foedera sunt vel *offensiva*, vel *defensiva*, prout vel ad auertendum periculum certum vni paciscentium auxilia praestare promittunt, vel ob illam vni laesionem communem defensionem stipulantur.

§. VIII.

Sicuti vero omne argumentum pacti ab arbitrio paciscentium pendet, ita et foedera illa, quaeque ex his gens genti praestare debet a paciscentium gentium arbitrio pendent. Hinc alia erunt *foedera determinata*, in quibus vel modus, quo auxilia praestanda; vel causa, qua existente, vel copiarum numerus definitus est, quibus praestitis fatiscit foederi; alia *indeterminata*, quae obligationem constituunt omni modo, vel omni exercitu auxilium praestare, si belli adsit iusta causa.

\*) Hinc

\*) Hinc gens illa iniusta non est, quae negat auxilia, si casus foederis non extat. Sic ultimo inter Anglos et Gallos gesto bello Batavi Anglis promissa negabant auxilia, quod casus foederis non extaret. Caeterum divisionem in foedera aequalia et inaequalia, et simplicia seu amicitiae et singularis praestationis, v. HEINECCIUM in Elem. Iur. Nat. et Gent. L., II. Cap. IX. §. 207. sqq.

§. IX.

**Non ergo ex pacto seu foedere defensio et offensio tenetur gens, si altera compascens iniustum aggressorem agit, vel non praecedente vel laesione, vel certo periculo arma arripit.**

\*) Si pactorum defensiuorum et offensiuorum finem consideramus, videri posset, quidquam iniusti ipsis his inesse pactis. Fac enim foedus intercedere inter Anglos et Batavos; fac Anglos ab Hispanis laedi: Quo iure quae iustitia armis utantur contra Hispanos, imo se ad bellum contra Hispanos suscipiendum obligare poterant, a quibus Batavi laesi non erant. Quodsi vero a parte paciscentis vnus iniustitiam in se habet pactum, nulla inesset obligatio. Sed salua adhuc res est, modo distinguamus inter pacta defensiva, quae inita sunt antequam vel laesio vel periculum certum obuenit, et ea, quae iam existente belli causa iusta cum laesa gente ineuntur. Posterioris generis pacta iniusta

iniusta sunt, licet forsan excusentur vel potentia alterius aduersarii ad aequilibrium seruandum; Hoc enim quidem occasionem foederibus dare potest, non iustam belli causam; vel defendantur, quod iniusta ad liberandum innocentem; Haec enim innocens gens sibi imputet, quod in pace non cogitauerat de bello secundum regulas prudentiae. Priora pacta vero eum ad securitatem paciscentium ineuntur, et ea gens, quae contra vnam ex confoederatis iniustitiam commissura est, no- uit eo ipso, se reliquas confoederatas gentes laesurum. Haec forsitan causa est, ex qua gentes Europaeae, si invicem foedere pepigerunt, reliquis non confoederatis iniusta foedera nota faciunt, quo reliquae sciant, cum quibus vna gente ex confoederatis, ob vincula iniusta pacti, laesuris erit negotium. v. TREVERVM ad Pufend. de O. H. et C. L. II. Cap. XVII. §. V. ni. I. Inde ergo iudicari potest, quid sentiendum, si vna gens cum altera vnica fuerit foedere defensiuo, at determinato tantum, postea orto cum alia non confoederata gente bello. determinationem factam nouo pacto vel augenda, vel adeo indeterminatum efficiunt confoederatae gentes. Nec dubitandum nisi alia concurrant, quae contrarium suadent, nouum illud pactum iniustum videri.

## §. X.

Quae vero gentes foedere vnicae sunt, si casus foederis existat, obligatae sunt vel ad



ad *determinata* auxilia, vel ad *indeterminata*, provti pactae sunt, praestanda: quae si negat, praestare, *iniuste* agit gens confoederata, nisi *iusta* negandi *causa* adsit, ex qua, quod auxilia promissa non praestet, genti confoederatae nihil imputari possit.

\*) Quid ergo? - si cum diuersis gentibus vna gens foedera habeat, inter has vero bellum oriatur, cui ergo praestet auxilia? Cum in collisionem veniat gens confoederata obligationum, nisi manifesto altera iniusta sit, quod casu laesae auxilium debet, neutri, si dubia causa sit, cum vtrique genti aequaliter obligetur, ex foedere tenebitur.

### §. XI.

Quousque vero obligent foedera, pendet ab arbitrio paciscentium, plerumque temporaria sunt, non tamen citra iustam causam licet a foedere recedere.

\*) vid. Progr. nostrum *de causis iustis soluti foederis ex iure gentium*.

### §. XII.

*Pacta Guarantiae* sunt, quoties gens genti de promissione tertiae cuiusdam gentis vel ordinati alicuius iuris securitatem praestare promittit, in hanc causam, vt si postea promissis non stet, armis cogat gentem simul ad praestanda promissa, vel qui agere intendunt contra  
ordina-

Ordinata iura. Haec pacta valent, quousque in iis nihil continetur, quod repugnat iustitiae naturali, vel tertii cuiusdam iuri perfecto.

Sic Pacis Osnabrugensis et Monasteriensis, cum ordinarentur iura inter paciscentes Guarantiam suscepit Gallia et Suecia.

### §. XIII.

Inter celebriora gentium pacta quae referuntur *foedera seu pacta Commerciorum*. Quibus inter paciscentes gentes causae mercaturae artificiosae atque commerciorum definiuntur, atque diversarum gentium subditorum commercantium iura determinantur.

\*) Equidem natura, quae non omnibus terris atque provinciis eadem tribuit, quae ad utilitatem, commoditatem, voluptatemque inferuiunt hominibus, imo nec semper ea dedit, quae adaptiorem sustentationem pertinent, videtur nexum communis fundasse inter diversos populos mercaturae, ita, ut quod una gens habet, alteri vendat libere. Inuenit tamen vel interdum quorundam gentium politica, restrictionem libertatis commerciorum, interdum laudabilem, interdum in propriam perniciem excogitatam, praetextu, ne diuitiae ex terris gentis ad alteram gentem ferantur. V. HEINEGGII *diff.*

*de Jure Princip. circa commerciorum libertatem tuendam. et BOEHMERVS de Jure Prin. libertatem commercior. restringendi in utilit. subditor.* Peperit haec restrictio foedera commerciorum, quibus convenerunt gentes inuicem, quid unius gentis subditis in alterius gentis terris respectu commerciorum liceat. V. MASCOV *de foederibus commerciorum.* Caeterum nequiquam turbat gens gentem, quae certas merces exportare prohibet, licet et gens vicina iis maximo egeat. Lex enim naturae non praecipit, sed sola humanitas suadet, ut alterius inferuamus conseruationi, sed prohibet tantum, ne turbemus in studio conseruandi.

## §. XIV.

**Occurrunt amplius *pacta Neutralitatis* inter liberas gentes, quibus stipulatur gens genti de se bello non interponendo.**

\*) Naturali quidem ratione non egemus his pactis, quippe omnes, qui laesi non sunt, destituuntur iure perfecto se bello inter alias gentes *omnino* immiscendi. Ei enim, qui laesus non est, ius belli non competere potest contra eum, qui in alium iniustus fuit, nisi forsitan obligatio existat ex pacto defensiuo seu foedere. Interim variae esse possunt causae, ob quas haecce Neutralitatis pacta inter gentes inquantur. Quid si enim gens

vna

vna vtrisque belligerentibus foedere teneatur, neque quae iuste arma arripuerit, genti liqueat; vel vna ex belligerentibus sic exigente, vel etiam sponte Neutralitatis pactum inire potest, cum vtraque gente bellum gerente. Dein si forsan vna gens causas habeat, ex quibus credat alteram gentem adstituram hosti suo, potest securitatis causa, ne se altera gens bello immisceat, cum ea Neutralitatis pactum inire sicque et in aliis speciebus.

## §. XV.

Qui partes neutralitatis elegit deque iis seruandis pacto tenetur, is perfectam inter belligerentes gentes seruare debet aequalitatem, neque quidquam committere, quo vni magis faueat, quam alteri neque quod vni concesserat negare alteri genti. Simulac itaque hanc aequalitatem seruandam negligit, agit contra Neutralitatis pactum sicque vnam ex belligerentibus laedit eiusque fit hostis.

## CAPVT V.

## DE LEGATIS GENTIVM.

## §. I.

Cum gentes liberae corpus mysticum constituunt, quod ex pluribus hominibus moralibus consistit, fieri nequit,

vt ipsa gens sua sibi tractet negotia, sed  
vel eius nomine maiestas, vel quem ma-  
iestas constituit procuratorem.

### §. II.

Procurator vero liberae alicuius gen-  
tis *Legatus* audit, et sicut omne procu-  
ratoris officium in eo consistit, vt alteri-  
us negotia gerat, ita legatus negotia  
gentis tractat a qua missus est.

### §. III.

Cum gentis mittentis tractant neg-  
tia legati, se satis qualificados esse ad hoc  
officium debent probare mandato seu  
*litteris credentialibus*. Si tunc a gente ad  
quam ablegati, *admissi* sunt, fruuntur iure  
legatorum.

### §. IV.

*Admissio* vero inuoluit pactum, quo  
gens ad quam missus legatum gentis li-  
berae agnoscit, eidemque sanctitatem in-  
violabilitatemque concedit, quo ipso ef-  
ficitur, vt non fiat subditus gentis ad  
quam missus, quamuis in eius territorio  
ei sit commorandum.

### §. V.

## §. V.

Haec admissio *humanitatis* est, non vero *necessitatis*, quippe nemo ad pacificendum cogi potest; hinc gens non potest adstringi, ut alterius legatum admittat, neque laesio inferitur genti a gente, quae alterius legatum admittere detrectat.

\*) Quare negandum non est, posse etiam gentem *conditiones* ponere, sub quibus legatum alterius gentis admissura sit. Exhibet *PRESBEUTA de Iur. Legat. Stat. Imp. §. 86.* exemplum, quo aula Viennensis Galliae legatum ea sub conditione tantum admittere voluit, ne vteretur *charactere* *Ambasciatoris*, si contra fecisset, pro legato non iri agnitum. v. *Illustr. GUTHSCHMID. diss. de prerogativa ordinis inter legatos. p. 15.*

## §. VI.

Legati quidem omnes aequaliter fruuntur sanctitate, inuiolabilitate atque exemptione ab imperio gentis apud quam commoratur; tamen usus gentium atque ceremoniae receptae varias pepererunt legatorum distinctiones. Alii enim primi ordinis, alii secundi ordinis. Hi *Envoyés* dicuntur, neque fruuntur *charactere* *repraesentationis*, neque his signis honoris

noris et dignitatis, quibus illi, qui Ambassadeurs vocantur, qui repraesentant maiestatem suae gentis.

\*) Haec differentia inter *Ablegatos*, et *Ambassadores* nihil ad legatorum essentialia iura, sed sicut omnes caeremoniae solemnitatesque arbitrariae sunt, imo et honoris signa, ita et in legatorum iure haec distinctio ad arbitraria gentium instituta refertur, respectu originis, sed cum inter Europaeas gentes recepta sit, pendet ab arbitrio partim gentis mittentis, qua conditione instruere velit legatum, partim ab arbitrio admittentis, an ea conditione etiam admittere velit. Legi merentur, quae de la *Sarraz du FRANQVESNAY* in Tractu scripsit, cui titulus: *Le Ministre public dans le cours etrangeres, ses fonctions et ses prerogatiues Amst. 1731.* Alia *ROVSETIVS* dans *Memoire sur le Rang et la preface entre les Souverains de l'Europe et entre leurs ministres representans, suiuant leur differens caracteres. Amst. 1746.* Solennes caeremonias respectu legatorum receptas exhibent praeterea *STIVIVS* in *Europaeischen Hoff-Ceremoniel* et *LVNIG* in *Theatro caeremoniali Historico Politico.*

## S. VII.

Legati siue primi siue secundi ordinis sunt, alii *ordinarii*, alii *extraordinarii*. *Ordinarii*,

*Legarii*, qui apud gentem ad quam missi ita commorantur, ut id, quod suae gentis interest, semper curent, qui vero extra ordinem ad perficiendum curandumque certum negotium aliquod suae gentis mittuntur, hi extraordinarii appellantur.

\* ) Ordinarii et ita describuntur, quod sint legati, qui ad plura indefinitaque pro ratione temporis et loci se exercentia, longiusque spatium sibi deposcentia negotia mittuntur. Addunt et alia, quod quidam legatorum plenipotentarii sint, alii non aequae plenam potestatem habeant. Agit de iis ICKSTATT in *Jur. Gent. L. V. Cap. IV. 3. VI. Schol. I.* Sed sicut omnes legati quodammodo procuratores sunt liberarum gentium, et procuratorum officium semper ad limites mandati adstringitur, vix cogitari potest legatus plena potentia agendi ex animi sententia instructus. Quiuis enim a mittente semper instructus esse debet, quid quale, quomodoque negotium peragere debeat. Haec instructio semper limites habet. Quare si limites egrediatur, legatus, nulla negotii obligatio in gente mittente existit. *Plenipotentiariorum* itaque officium magis in hoc consistit, quod negotium aliquod definitum determinatumque iam tractatum sollemniter perficiant. Interim cum quae legati sit instructio, qui limites positi, cum gente ad quam missus non communicantur, hinc fit,



vt quae a legatis non plenam potentiam habentibus peragantur, non prius valeant, nisi ratihabitio gentis a quo missus legatus, sequatur.

## §. VII.

Sicuti autem legati a gente libera ad gentem liberam mittuntur, vt negotia expediant, sequitur, legatum a maiestate nomine gentis non posse ablegari ad gentem, quae *suppressa* est, liberaque gens esse desit, multo minus ad alterius gentis *subditos*.

\*) At quid? si *suppressa* quaedam gens sese a libertatem vindicatura ob perpeffas iniustitias arma ceperit, neque ad obsequium reduci possit ab gente suppressore, vt quodammodo libera esse videatur, quamuis altera gens, quae eandem suppressam tenuerat, nondum liberam agnouerit, *an ea legatum mittere possit?* Arbitror posse quidem mittere, sed sicut admissio gentis voluntaria sit, pendet ab arbitrio eius gentis, ad quam mittit legatum, an admittere velit, si admiserit tanquam legatum liberae gentis, dubium non est, frui eundem quoque legatorum iuribus. Sic si Corsani ii, qui arma contra Genuenses sumere, cum ab his supprimi nequeant, et ad obsequium reduci, simulac commune sibi imperium, sit democraticum, sit Aristocraticum, sit Monarchicum, perinde est,

est, constituere, legatum recte mittent. Nec impedit, quod a Genuensibus ipsis libertas reddita non sit, quippe magis ad id videndum est, quod est in veritate, quam quod in aliorum opinione. Sed quae de suppressa gente diximus, haec applicari nequeunt ad gentem unitam cum alijs gentibus. Sic si e. g. In Systemate ciuitatum, quae alia gens legatum mittat, ad vniam vniatarum gentium, vtique legatus est, quum libera gens sit, ad quam missus, quippe vniouis defensionisque pacum subiectionem iuicem factam haud inuoluit.

§. IX.

Neque populus solus, qui maiestatem vel optumates vel monarcham constituit, legatum mittere potest, ad liberam gentem, quippe non est gens, quae sine maiestate non intelligitur, cum maiestas et populus gentem constituant nisi in democratia. Multominus subditi ad liberam gentem legati mittendi ius habent.

§. X.

Nec amplius ii legatorum iuribus fruuntur, quos maiestas ad suos subditos negotii cum iis tractandi causa ablegat, sed *Commissarii* dicuntur quorumque potestas a solo committentis determinatur

L 5

arbit-

arbitrio, nec vlla admissio requiritur, sed ipso iure ex autoritate maiestatis commissum tractant negotium.

## §. XI.

Contra nec, quos subditi ad suam ablegant maiestatem alicuius causae tractandae ergo, legati dici possunt, sed *deputati* audiunt, neque aliis, quam quibus reliqui fruuntur iuribus subditi.

## §. XII.

Quis legatum agere possit, ab arbitrio maiestatis pendet, quae suae gentis nomine legatum missura est. Sed an subditum vel alius gentis, vel adeo eius gentis, ad quam missura est, legatum eligere eique credentialibus literis legati iura conferre possit, quaeritur. Posse utique consentientem non subditum legatum eligi atque ad liberam gentem ablegari, non dubito, dummodo maiestas illius non subditi consentiat permittatque, ut legati officium in se recipiat.

\*) Circa hanc quaestionem aliae oriuntur decidendae. Sic si ponamus regem Galliae Hispanum quendam consentiente Maiestate  
Hispa-

Hispanica legatum mittere in Angliam vel-  
 le, huncque legationem in se recipere, du-  
 bium quidem non est, admissum in Anglia  
 legatum Galliae habendum esse, sed an sus-  
 cepta hac legatione subditus Galliae fiat,  
 valde dubito. Pactum enim de procurati-  
 one suscipienda non inuoluit subiectionem,  
 sine vero pacto subiectionis subditus alte-  
 rius fieri nequit. Neque consensus maiestatis  
 hispanicae in accipiendam a subdito legati-  
 onem id continet, vt ideo a nexu subiectionis  
 dimittat, potius ciuis hispanus permanet, et  
 valide gentis Gallo-francicae causas apud  
 Anglos tractat. Contra alia dubitatio orietur,  
 si Rex Galliae subdito Angliae legationem  
 deferre suumque legatum apud Anglos  
 constituere velit. Non dubito volentem  
 consentientemque Anglum recte posse le-  
 gationem suscipere, si non prohibeat maie-  
 stas Anglica, eundemque admittat. Sed an  
 fruatur immunitate illa legatorum et exem-  
 tione, id est, an desinat subditus esse An-  
 gliae, equidem in genere affirmare non  
 ausim. Concedo in iis rebus, quae ad le-  
 gationem spectant, sanctum inuiolabilem  
 fore, imo pro non subdito habendum esse,  
 quo sua fungi possit legatione suoque facere  
 officio satis, at si possessionatus sit, et in re-  
 liquis, quae legationem non adficiunt, sub-  
 iectionis nexum permanere magis affirman-  
 dum censeo. Cum enim maiestatis con-  
 sensus vt suus subditus alterius gentis nego-  
 tia

gia gerat non involuat remissionem nexus subiectionis, sed suspendat tantum in causis legationis, certumque sit legatione legatum non fieri gentis mittentis subditum, sequitur subditum permanere gentis ad quam missus est, nisi expresse maiestas in legationem consentiens eundem a nexu subiectionis liberaverit, idque legatus acceptauerit.

### §. XIII.

Cum legatus mittatur, ut gentis suae negotia tractet, non tantum instructus esse debet iis *qualitatibus*, quae ad tractanda commissa negotia necessariae sunt, verum *primarium eius officium* in hoc consistit, ne quid agat, quo suae gentis aequalitas atque maiestas minuatur a gente, ad quam missus est. Hinc cuncta gentis facta attendere, nequid in suam gentem moliatur, suae contra gentis iura *urgere*. Quapropter etiam legatus gaudet *libertate sermonis*, quae in hoc consistit, ut ea quae suae gentis iura tangunt libere proponere promissorum adimplementa exigere eorumque, quibus in suis iuribus sua laederetur gens, intermissionem, et iam laesionum illatarum satisfactionem postulare queat.

### §. XIV.

## §. XIV.

Haec vero libertas sermonis pariter ac exemptio ab imperio cum in gente, ad quam missus, subditus non fit, haud permittunt legato, vt dictis factisque gentis, cum qua negotia tractat, maiestatem imminuat et aequalitatem laedat.

## §. XV.

Quapropter si legatus delinquit agendo contra gentis apud quam versatur libertatem, aequalitatem, securitatem et maiestatem, fit hostis, amittitque quae vt legatus habuerat sanctitatis inuiolabilitatisque iura. Est itaque in laesae gentis arbitrio, quem modum satisfactionis quaerendae eligere velit, an eandem a gente ipsius legati delinquentis exigere, an ipsum legatum hostiliter tractare.

\*) cf. COCCII *diss. de legato sancto non impuni*. Exactius *de foro legatorum* egit BYNKERSHOEK quem librum in linguam Gallicam BARBEYRACIUS transcripsit notisque illustravit.

## §. XVI.

Cum legatus, quae gerat negotia, ex suae gentis mandato agat, sequitur ipsam gentem

gentem *ex factis* legati sui obligari, dummodo mandati limites non egressus fuerit; contra per legatum *iura quoque* sibi *acquirere* gentem.

## §. XVII.

Porro cum legatus admissus non fiat subditus gentis ad quam missus est, sequitur legatum immunem esse ab omnibus oneribus ciuitatis, in qua versatur. Hinc vectigalia ob res suas, quas secum apportat, aliaque tributa nunquam soluit.

\*) Quod si vero legatus in territorio gentis bonam immobilia possideat, utique ad realia tenetur onera intuitu immobilium praestanda.

## §. XVIII.

Sicuti vero legati omnia iura legatis competentia admissione sibi acquirunt, ita transeuntes per territorium gentis alius, quam ad quam missi sunt, haud frui iuribus possunt legatorum, nisi literis liberi commeatus obtinuerunt exemptionis iura.

\*) Hinc legatus gentis transiens in itinere per gentis hostis terras, nisi munitus sit literis commeatus seu salvo conductu tanquam hostis considerandus est.

## §. XIX.

## §. XIX.

Fruuntur vero legati admissi immunitate non tantum ipsi, sed eadem exemptione gaudent omnes quos in suo habent *commitatu* quorumque utitur ministerio. Quare horum iudex competens ipse est legatus.

## §. XX.

Finitur vero legatio I) si moriatur legatus, II) si a gente reuoetur sua, III) si ad certum conficiendum negotium missus hocce confecerit, IV) si inter gentem mittentem atque eam ad quam missus legatus, bellum oriatur. V.) Si a gente ad quam ablegatus, ob id, quod deliquerit expellatur.

\*) Expelli posse legatum docuit *Illustr. GUTHSCHMID cit. diss.* Sed sicut admissio legati pactum continet, ex quo sua exemptionis inuiolabilitatis et sanctitatis iura consequitur legatus, expulsio fieri non poterit, nisi praecesserit laesio illata, qua ex sua persona hostis fiat, ut tunc obligatio ex pacto cesset. vid. Specim. nostrum *de iure expellendi legatum gentis liberae* in *Opusculis Iur. nat. Vol. II.* Caeterum de Legatorum iure adhuc consulti merentur. *HOTMANN Traite de l' Ambassadeur. WICQUEFORT L' Ambassadeur.*



*fadeur. VARSEVICIUS de Legato et Legatione. MARSELLAR Legatus CALLIERE Maniere de negocier avec les souverains.*

## CAPVT VI.

## DE MODIS QUIBUS IUS IN RES INTER GENTES TOLLITVR.

## §. I.

**Q**uibus cunque modis ius, quod homini in res competit tollitur, iisdem modis iura in res liberarum gentium solvantur. Hinc si gens res possideat, easque dein derelinquat, certum est, *derelictione* expirare ius, quod in re habuit.

\*) Haec ipsa derelictio tunc dicitur, si quae res, quae antea a gente possidebatur, vacua ab omni possessione vel vera vel symbolica deprehenditur.

## §. II.

Res ergo a gente derelicta, fit denuo res nullius, sicque a quavis alia gente libere occupari potest.

## §. III.

Dein si status belli oriatur inter gentes, cum in hostem cuncta sint licita, si quas res bello gens ab altera occupat, *occupatione*

tionē expirat ius gentis in rem ab altera gente ereptam. Hinc sicut a parte occupantis *occupatio* modus est acquirendi, ita a parte eius, cui eripitur, modus solvendi iuris in res.

## §. IV.

Porro sicut, qui rerum suarum dominus est, de iis libere disponit, suaque in quemcunque licite iura transferre potest; ita gens *traditione* facta, ut ius suum, in rem suam in alterum transferat, illud amittit: Est itaque *traditio* quoque inter modos tollendi iuris in res.

## §. V.

Amplius si interitum res patiatur, quae dominio alicuius subiecta, simul efficitur, ut dominium et ius in re intereat, ita certum est rei *interitu* ius in re gentis tolli.

## §. VI.

Tandem si contingat, ut gens *mortenti* patiatur, res, quae antea gentis erant de novo fiunt res nullius atque cedunt occupanti.

\*) Omnis vitae civilis gentis alicuius seu mystici illius corporis consistit in unione con-

M

sensu

fensu inita, quae omne primum vinculum constituit, cui superuenit pactum imperii. Si itaque causa oriatur, quae tollit consensum vnionis atque imperii, gens soluto omni nexu membrorum omnium inter se *mortem* patitur. Sic e. g. Si consensu communi omnes, qui gentem constituunt, quo refertur quoque maiestas, conspirent, de tollendo communi vinculo, quo omnes redeant ad pristinam libertatem statumque naturalem. Quare si suo iuri in imperium inque gentem maiestas renunciet, obinde ipsa gens non patitur mortem. Hinc e contrario si populus monarcham tyrannum expellat, vt Tarquinium superbum Romani, neutro themate ciuitas mortem patitur, sed forma tantum imperii mutatur. Porro, si gens a gente supprimitur eidemque libertas eripitur, cum desinat esse gens, mortem patitur. Hinc e. g. Iudaica gens in Babyloniam captiua abducta suppressaque mortem patiebatur.

## CAPVT VII.

## DE MODIS SOLVENDAE OBLIGATIONIS INTER GENTES.

## §. I.

**S**i quae inter gentes obligationes or-  
tae, aequae tolli possunt iisque mo-  
dis, quibus inter singulos homines tollun-  
tur

tur. Maxime vero ad ipsius obligationis speciem respiciendum. Hinc si gens genti obligatur ad dandum faciendum, sequitur tunc, dato factoque cessare obligationem, qui modus *Solutio* dicitur.

§. II.

Neque dubitandum, tolli obligationem inter gentes posse *remissione*, scilicet gens, cui altera obligationem debet, suo perfecto iuri renunciaret.

§. III.

Sicuti vero remissione unilaterali pacti obligatio tollitur, ita *dissensu* gentium bilaterali pacto inter se obligatarum obligatio cessabit.

§. IV.

Imo contingere potest, ut gens quae obligata ad aliquid faciendum, *sine sua culpa impediatur*, quominus suae obligationi facere possit satis, sequitur, cessare vim obligationis.

\*) Vide quae disputauimus in Progr. *de causis iustis soluti foederis ex iure Gent.* in Opusc. *Iur Natural.* Vol. II.

## §. V.

Dein, si vna gens obligata *laesionem* infert alteri genti obligatae nexu bilaterali pacti, sequitur laesam gentem ex sua parte liberari ab obligatione.

## §. VI.

Porro, si ad tempus obligatio contracta, elapso tempore inter gentes cessare illam obligationem certum est.

## §. VII.

Tantem si *mortem* passa ciuitas, vel quod ciues sese in naturalem libertatem sublato omnis vnionis nexu, quod rarissime eueniet, vindicauerint, vel quod ab alia gente penitus suppressa sit, cessat omne vinculum obligationis, quo alteri genti vel ciuitati obstringebatur.

\*) An *morte* etiam *maiestatis* in republica monarchica expiret vis obligationis? Haud raro distinguunt inter regnum *electiuum* atque *successiuum*. In successiuo obligationes continuare adfirmant, haud aequè in electiuo, quae verò philosophia recta mihi non videtur. Siue enim electione, siue successione maiestas constituta sit, quas gentis nomine obligationes contrahit, continuant mortua persona licet maiestatem habente, quippe maiestas non moritur, quae qualitas extin-

ta

Et persona in electiuo regno redit ad populum, a quo dein iterum cum omnibus iuribus gentisque obligationibus transfertur in nouiter electam maiestatem. In successiuo regno vero obligationes genti inhaerentes statim transeunt in successorem non tanquam suae, sed per maiestatem gentis factae obligationes. Contra vero, si sunt obligationes a persona maiestatem habente conditione priuata contractae, quae obligationes gentem non adficiunt, non aequè in successorem transferuntur, nisi ex causa ciuili notio heredis in successore simul interueniat.

CAPVT VIII.

DE LAESIONE ET DAMNI REPARATIONE INTER GENTES.

§. I.

**S**imulac gens quae vel ex lege naturali obligata est, vel ex pacto alteri genti, agit contra hanc obligationem sicque contra alterius gentis *iura perfecta* siue ex lege, siue ex pacto *competentia*, oritur *laesio* genti illata.

§. II.

Continget vero laesio ex lege, si vel contra libertatem, securitatem aequalitatem-

tatemque alterius gentis cuiusdam gens quidquam molitur.

\*) Neque tantum laesio erit, si contra pacem externam *totius gentis* altera gens agit, verum etiam si contra libertatem aequalitatem pacemue externam personae maiestatis quippe ea gentem repraesentat, imo et legati a gente missi iura sanctitatis inuiolabilitatis quid moliantur. At quid? Si maiestatem habens persona vtens *conditione priuata* laedatur in suo perfecto, an laesio haec gentem ipsam adficiat. Gentis quidem laesionem eam non arbitraret, at vero gentem teneri simul ad defendendam suam maiestatem ab omni laesione illata inferendaque certissimum est.

### §. III.

Si amplius gens vel ad dandum faciendumue, vel ad omittendum aliquid, quod per naturalem libertatem peragere poterat, obligata genti, vel danda non dat, vel facienda non facit, vel omittenda non omittit, idque vel *dolo* vel *culpa*, laesionem infert.

### §. IV.

Quare et si gens *citra culpam* suam obligationi non faciebat satis, genti laesio illata non est.

\*) Neu-

\*) Neutiquam culpa gens vacat, quae non facit satis obligationi, ob id quod sibi non conducatur, imo potius noceat, Peccant utique, qui in emetiendis gentium iuribus, diiudicandisque actionibus *Ius conuenientiae* fundamentum ponunt. Si enim id tantum iustum sit, quod genti conueniat quodue conducatur, et haud raro quod maiestati utile sit, quaeeso! quid sanctum, quid inuiolabile quidue obligatorium amplius erit. Pacta hodie inter gentes inita, foedera, pacta pacis inita omnem vim obligationemque haud diutius habebunt, quam quousque vni ex gente placet. Simulac enim genti foedere defensiuo obligati ab altera gente pinguiore melioresque conditiones offerantur, confoederatam antea gentem mox hostem metuat gens, quae defensiuo foedere se satis tutam existimabat. Concedam, summam gentium curam in eo simul versari ut in agendo utilitatis rationem habeant, sed habeant salua illaesaque iustitia, quae anteponenda semper utili.

§. V.

Ex laesione illata laesa gens damnum sentit, ad cuius *reparationem* seu potius *satisfactionem* laedens gens tenetur.

\*) Cum N. I. obligatio perfecta atque ius correlata sint, isque cui ius perfectum competit alterum cogere possit ad obligationi suae satisfaciendum, sequitur, cum quilibet



obligatus sit ex Lege, ne alterum turbet in suo perfecto iure, turbato competere ius perfectum laedentem cogendi, ut suae innatae obligationi satisfaciat, et, si iam turbatio seu laesio, quae in facto consistit, infecta fieri nequeat, ut damnum laesione illatum restituat.

### §. VI.

Neque quisquam alius inter gentes aestimabit, quantum sit damnum quantique aestumandum; sed haec damni aestimatio satisfactionisque a laedente praestandae determinatio a sola pendet laesa gente.

- \*) Causa est, vel quod superiorem non agnoscant gentes liberae iudicem, vel quod rerum pretia arbitraria. v. supra quae disputauimus *Sect. 1. Cap. XII. §. 15. sqq.*

### §. VII.

Contra, vero, si gens contra humanitatis officia seu, ut vocant, iura imperfecta alterius gentis agat, seu quid suscipiat, quod secundum libertatem naturalem agere possit, atque ad quod intermittendum alteri genti nullum prohibendi ius competit, nulla laesio inde oritur, neque ad damnum resarciendum tenetur.

- \*) Hinc patet, quid statuendum, si maiestas subditis venditionem frumentorum extra terri-

territorium prohibeat, an finitima gens, quae  
 iis egeat, hac exportandi prohibitione se  
 laesum arbitrari possit. Cum enim gentis  
 ab arbitrio pendeat an pacisci vel ipsa, vel  
 singula gentis membra velint et debeant, nec  
 ne, neque cuiquam ius competere potest,  
 alterum cogendi ad superfluum vender-  
 dum, in hac venditione prohibita laesio esse  
 nequit, quamvis cum altera gens egeat, in-  
 terdum contra humanitatem peccetur. Ita  
 per contrarium laesam se gens non putabit,  
 si alterius gentis maiestas subditis suis pro-  
 hibuerit, quominus ab alia gente merces  
 coemant atque in territorium inferant. Pari  
 facilitate de eadem quaestione ferendum  
 est iudicium, si gens haecenus per alterius  
 gentis territorium soluto certo vectigali  
 merces transportauerit, auctis ab altera gen-  
 te vectigalibus, merces per aliud territorium  
 transportandas curet, an, cum vectigalia  
 amplius haud capiat sicque reddituum publi-  
 corum laetura aliquam patiatur, se laesum  
 putare possit. Cum enim libertatis natu-  
 ralis sit, vtrum hac, an alia via ingredi ve-  
 lim, neminique ius perfectum competere  
 possit nisi forsan pacis desuper expresse  
 confectis et ab altera parte sancte seruatis,  
 vt per hanc transeam viam me cogendi. Si  
 itaque id agit gens, quod per libertatem na-  
 turalem agere potest, et ad quod prohi-  
 bendum alii genti ius non competit, nemi-  
 nem laedit, sequitur quae gens alia noua-  
 que

que vitur via, quam qua hactenus vsus fuerat, damnum alteri genti non infert, sicque nunquam belli dat causam.

### §. VIII.

Hinc si gens libera ad sui territorii fines castra ponat, an finitima altera gens se laesam arbitrari possit, ex circumpositis causis diiudicandum, perse vero in eo laesio quaerenda non est.

\* ) Cum a gente vel eius maiestate pendeat, quem sibi velit locum eligere, quo castra ponat in suo territorio, eo quod commodum ad fines territorii inuenerit locum, vicina gens, ni alia turbatiua obuenant facta, laesam se haud habebit. At controuersis motis rixaeque causis praemissis, quasi ab altera gente vicina illa laesa esset, satisfacionemque exigat, si tunc castra ponat reliquumque ad futurum bellum necessarium apparatus comparat, vt exinde certo bellum metuendum sit, iustam tunc aggressurae genti vicinae belli causam suppeditari dubitari nequit, Licet enim, vt supra notauimus, auertere periculum.

### §. IX.

Ita amplius neque *fortalitia* ad territorii fines extracta, quae defensionis et securitatis causam habent, nec *crescens potentia laesionem* vicinis gentibus infert.

\* ) Gr-

\*.) Graüter disputant an *metus crescentis potentiae* iusta sit belli causa. Il quibus *aequilibrium*, vt vocant, gentium Europaeorum curae cordique est, haud dubitant augmentum ingens potentiae laesioni aequiparare iustamque belli causam habere, quo potentiae superpondium destruat. Sed cum et aucta potentia inter media obtinendae securitatis referenda, neque obinde, quod gens potentior sit, sequatur eandem quoque iniustam fore, aliaque superfint media in prudentia politica, vt habet TREVERVS ad *Pufend. de offic. hom. et Ciu. L. II. c. XVI. §. 4. n. 1.* quibus adhibitis aequalitas potentiae fieri potest, nunquam crescentis potentiae metus inter laesiones referri potest vid quae habet GVNDLINGIVS *de statu Nat. Hobbesii.* TESMAREZ ad *Grotium L. II. Cap. I. §. 17.* SCHARROK *de Officiis Cap. III. §. 9. et 10.* IVSTI von Gleichgewicht von Europa.

§. X.

Neque laesio demum dici potest, si gens alterius gentis subditos ex suo territorio abesse iubet, quippe libertatis est, quem in suas admittere velit terras.

\*.) Forsan lucis aliquid adfundi potest quaestioni, quam summus Pontifex obiecerat Regi vtriusque Siciliae occasione electi ordinis Iesuitarum. Non quidem decidam hic ex hierarchia ecclesiae, sed examinanda potius, prout ipse Pontifex summus

mus opinabatur, simul ex gentium iure. Controversia eo redit: An gens, quae numerum incolarum suarum ex suo territorio expellit atque ad alterius gentis fines traducit, huic genti laesionem inferat. Cum respectu illius gentis ad quam traducuntur improbi iniustiae haberi non possunt, posito, quod gentem, a qua expelluntur, laeserint, sicque ut hostes eiciantur, cum in gente, ad quam adducuntur non laeserint, via gens laesam se putabit, cum in eius arbitrio est, utrum admittere velit ad territorium iisdemque securitatem concedere, an vero vel remittere vel amplius expellere. Deum cum adductis his subditis nec pax externa nec securitas communis alterius gentis turbatur, si de I. G. tantum quaestio, vix est, ut adductio illa sola pro laesione habenda.

## CAPVT IX.

## DE IVRE BELLII ET PACIS INTER GENTES.

## §. I.

**C**um laedens laeso teneatur ad satisfactionem damni que reparationem, si laedens eandem praestare nolit, laeso competit ius cogendi omniaque media coactionis tunc licita sunt.

## §. II.

## §. II.

Media vero coactionis vel inveniuntur in *repraesaliis*, vel in bello.

## §. III.

*Repressalia* inter liberás gentes iusta erunt, si laesa gens iura perfecta obligationesque negat genti laedenti, donec satisfaciat laedens.

\*) Sane bello inter gentes quasque illatas perceptasque injurias vindicare non videtur prudentiae, quamquam nemo sit, qui si bello vteretur laesa gens, eandem iniustitiae accusaret. At vero cauendum ne *repressaliae* personam gentis adficiant, cui laesio imputari nequit. Hinc fac vnam gentem alteri genti debere pecunias, tertiam gentem suscipere aeris huius solutionem, saluo iure regressus contra primam, nisi tertia soluat. Da amplius tertiam laedi ab altera gente, hancque vsuram repressaliis, donec ob laesionem satisfactionem praestet, vix perfecte iustus modus erit, quippe negando solutionem laedenti genti, cum regressus ei pateat aduersus primam gentem debitorem principalem, quae laedens non erat, cuique laesa gens obligata, hanc potius laedet, quippe creditrix gens, quae laedentis personam sustinet, debitum a prima tunc exigit iuste.

## §. IV.

## §. IV.

Gentes aequae inter se vel illatas iniurias vindicant bello, vel certo imminens periculum auertunt, hinc vel *offensuum* vel *defensuum* quoque inter gentes occurrit bellum.

## §. V.

Neque *belli indictione* inter gentes opus est, haec magis solennitatis est, non iuris.

\*) Solent gentes emittere *manifestationes* ut vocant, in quibus explicant causas propter quas arma ceperint. Harum *manifestatio* aliarum magis et sociorum civium subditorumque fit causa, ut ex his appareat non iniustum bellum motum esse. Prudentia id suadet, haud praecipit lex. De belli indictione supra *Part. Spec. Sect. I. Cap. XIII.*

§. V. \*

## §. VI.

Armorum differentia in licita et illicita inter gentes ignoratur si de iure disputatur; at si de facto quaestio decidenda, gentes Europaeae hanc videntur arbitrio servare distinctionem.

## §. VII.

Bellum quod gens gerit contra gentem, efficit, ut in membra gentis hostis  
cun

cuncta sint licita. Possunt ergo ciues gentis hostis occidi, capi, eorum bona eripi. Simulac vero sese dederunt victori, cessant tunc esse ob interueniens pactum hostes, ita nihil ab iis amplius exigi potest, quam quod in conditionibus deditiois positum est.

### §. VIII.

Bello inter gentes exorto, cum gens una alterius fiat hostis, gens vero sit multitudo plurium hominum consociatorum, sequitur, singula membra gentis fieri hostes. Quapropter genti vni in singula membra gentis hostis, idem ius competit quod hosti in hostem.

\*) Poterit ergo membra hostis gentis occidere eorumque iis eripere bona. Sed hic oritur quaestio: An et non armatos ciues, quique se defendere nequeunt gentis hostis occidere liceat? Videtur quidem affirmata admodum dura sententia, maxime si senes et feminas respicimus, qui se defendere armaque amplius ferre non solent; at si de stricto iure decidendum, sunt tamen gentis membra, cumque omnium aequalis est hac relatione notio, solum con fugiendum est ad humanitatis praecepta, quae suadent, vt iis, qui nobis nocere nequeunt



queunt parcamus. De infantibus vero aliter sentiendum. Quando quidem enim ciues nasci plerumque opinentur; falsissima tamen haec est opinio. Si enim verum ciuium obligationem, iura, conditionemque accessoriam esse, quaeso! quo vnquam modo habebis ciuem natum, qui ne obligationum accessoriarum capax, cum non sit homo moralis. Si itaque infantes nondum sint membra gentis hostis, hinc inter hostes referri nequeunt, nunquam hostibus licitum esse poterit occidere tanquam hostes.

## §. X.

Simulac vero gens hostis vel tota, vel pars gentis alteri genti victori sese dederit, post deditionem cessant iura belli. Hinc dediti amplius nec occidi, nec bona iis eripi possunt, nisi denuo fiant hostes.

\*) Si in deditione conditiones quaedam posita, sub quibus victa in deditionem recipiuntur, e. g. contributionis hac a deditiis adimplendae. At vero si victor pure victos in deditionem recipit, nulla tunc apposita conditione, iniuste agit, si postea a receptis his contributionem exigit. Haec enim exigi nequit, nisi ab hostibus, quales post deditionem victi amplius non sunt,

## §. IX.

## §. XI.

Quodsi vero conditionem promissam postea non adimpleat, cogi debet quibusvis mediis, imò ipsa rerum depredatione, quae sunt dedititorum. Non enim adimpleta promissa conditione de nouo fit dedita gens hostis.

- \*) An et res sacras ecclesiasticasque victor eripere possit victae genti, aut dedititiae non adimplenti promissam in deditione conditionem? Equidem ignorat naturae ius hanc rerum distinctionem, quae ex facto magis est, quam iure, tamen valde dubito, an victori promiscue liceat victae gentis res sacras ecclesiasticasque eripere. Res enim sacrae ecclesiasticaeque ad ecclesiam spectant, ecclesiam vero, ut ex fine ipsius patet, subditam esse, nunquam adfirmauerim, nisi immobilia forsitan tantum intuitu; ciuitas vero ab ecclesia diuersa, quamquam ea, quae ciuitatis membra sunt, sint quoque membra ecclesiae: sequitur, licet ciuitas seu gens sit hostis, obinde hostem non esse simul ecclesiam. Quodsi vero contentio atque lis de religione orta, bello causam dederit, facile patet, quid tunc sentiendum.

## §. XII.

Quamuis bello inter gentes orto, omnia cessent iura perfecta omnesque

N

obli-

obligationes perfectae, tamen inter ipsas belligerentes gentes nouae oriri possunt obligationes, quae statum belli tantum concernunt, quo referuntur pacta de *captiuis redimendis, induciarum, obsidum* aliaque.

### §. XIII.

Captiui cum accedente deditioe alterius subiiciuntur imperio, vel omni erepta libertate serui fiunt victoris, vel interueniente pacto manent subditi alterius gentis hostis, et quamuis post captiuitatem non amplius hostiliter tractandi, tamen a victore alendi non sunt, sed a sua gente, nisi de alendis victis *speciatim* conuenerint gentes hostes.

### §. XIV.

Ita et pactis pretia constituuntur, captiuis quibus solutis captiui remittendi sunt ad gentem suam, vel permutatio ne facta captiuorum liberantur, singuli que ad suam redeunt gentem.

\*) Sicut haec omnia facti magis, quam iuris, ita, qua velint teneri obligatione gentes inter se hostes, expresso statuendum pacto, neque gens altera ad paciscendum de redimendis captiuis lytro cogi potest. Imo si pactum de redimendis permutandisque captiuis

ptiuis initum, haud licet captiuos cogere, vt stipendia mereantur inter milites gentis victricis. Praeterea si captiui recuperant fuga libertatem, iniusti non sunt, neque lytrum eorum causa exigi potest, sibi enim imputet victor, quod male custodiuerit, nisi pacto promiserint, se haud effugituros, tunc iniuste agunt effugiendo, cum transgrediuntur pactum. Quapropter si captiui fugitiui a victore de nouo capiuntur, quod effugerant puniendi non sunt; esset tunc sine crimine poena. Quodsi vero de facto coegerit captiuos victor, vt in sua militia stipendia mereantur, hi postea data occasione effugiunt, iniuste non agunt; ex coactione enim nulla oriebatur obligatio, hinc iure simpliciter vt captiui considerantur, qui si possunt, effugiendo captiuitatem, iniuste non agunt. Caeterum solent etiam gentes, quae inuicem pace fruuntur, interdum pacta inire his similia, quibus promittunt desertores inuicem se exhibituras, eaque dicuntur *Cartels*, et nituntur solis humanitatis et vtilitatis rationibus; hinc ad ea pacta ineunda gens gentem nequit cogere. Imo cuiusuis gentis ciues, qui apud alteram gentem stipendia meruerant, eaque effugerunt, tamen tanquam desertores repeti non possunt, nisi forsan expresse de hoc pactae fuerint, quod rarissime continget. v. HERTII *diff. de lytro.*

## §. XV.

Alterum quod inter belligerentes frequens est pactum, sunt *Induciae* seu *Armistitium*. Hoc inito pacto suspenduntur ad definitum tempus actus bellici, manente interim belli statu ac lite, quo tempore elapso ad hostilitatem redeunt.

\*) Recte TREVERVS ad *Pufend. de O. H. et C. L. II. cap. XVI. §. XV.* statuit distinctionem; quod pacta pacis tollant litis et iurgii inter gentes causam, cum contra induciae intactam eam relinquunt, iisque durantibus hostes nihilominus hostes maneant. Caeterum quod *ipse* distinguat *inducias* ab *armistitiis*, atque in *his* belli actum suspendi tantum, in *illis* et apparatus adfirmet, magis subtilitas esse videtur, atque cuncta pendent a partium conventionione. Quare si continere inter se partes, ne durantibus induciis quidquam agant quod ad augendum apparatus bellicum pertineat, e. g. milites conscribendo, fortalitia extruendo, vel reficiendo, machinas bellicas comparando et alia, recte ab *his* omnibus abstinendum foret. At si nihil tale quidquam inter partes promissum, satis est abstinuisse ab actibus offensivis. Quare in obsidione urbis, si inter obsessos atque oppugnantes induciae fiunt, his durantibus nec in obsessa urbe, nec ab oppugnantibus nova opera fieri re-

de

de possunt, quibus vel repelli possunt obsidentes vel impugnari obsessi, quiescat potius omnis vtriusque partis labor bellicus. Quod vero ad illam controuersiam spectat agitatam inter GROTIUM *de Iur. B. et P. III. XXI. §. 5.* et PUFENDORF. *de Iur. N. et Gent. VIII. 7. 8.* a quo momento currere incipiant induciae: an a momento, quo perfectae fuere, an ab insequenti die: prior sc. *Pufendorfi* sententia verior et experientiae conuenientior videtur. At tandem quaestio alia controuersa videtur, si exercitus hostium simul consistat ex sociis, an induciis a principali gente initis simul iis fruuntur socii. et arbitror, recte etiam subintelligendos eos, nisi separato plane exercitu agant, quippe vnum cum gente principali constituunt corpus: at non nego, satius fore, si in pacis induciarum simul mentio fiat sociorum.

### §. XVI.

Cum vero soleant interdum belligerentes inter se pacisci, consuetum est, vt inuicem obsides tanquam pignora dent in securitatem vel ipsorum paciscentium gentium nomine, vel etiam in fidem promissi. Hi obsides dantur a liberis inuicem gentibus de quacunque promissione licita.

\*) Quapropter, quos ex suppressa gente sibi capit victos, quo cogat, vt promissionibus stent, *obsides* vere non sunt, sed *captiui*. Vfus

tamen inter gentes haud raro hos captiuos nomine *obsidum* insigniuit, at contra rationem. Quare de iure victori in hoc genus captiuorum id ius haud competere potest, quod competit in veros obsides, si a promissis deficient deuicti reliqui; sibi enim imputet, quod deuictos pro obsidibus dissentientibus reliquis victis ceperit atque contentus esse his voluerit, se satis tutum putans.

### §. XVII.

Cum ergo obsides dentur genti in securitatem promissi a gente, sequitur obsides subditos gentis, cui dantur, non fieri, sed tantum consequi ius hostiliter agendi contra obsides, si gens dans promissis suis haud stet.

- \*) Subditos gentis, cui dantur, non fieri ideo indubitati iuris est, quippe dando in obsidatum gens suo iuri, quod in conciuēs obsides sibi nexos habet, haud renunciat, nec ipsi obsides suo iuri atque obligationi haud renunciant in sua gente. Dein nec satis haberet gens obsides accipiens securitatis, si subditi sui fierent, quippe si a dante gente laederetur, atque tunc obsides hostiliter tractaret, hostiliter tractaret ciues, non aequē hostes hostiumque pignora. Quare obsides in gente cui dantur, fruuntur conditione naturali, nec iudicantur ex lege gentis in qua
- ver-

versantur. v. *Specim. nostr. I. Quaest. illustr. Jur. nat. Cap. I. in Opusc.*

§. XVIII.

Simulac vero promissa gentis adimplera, tanquam principali obligatione cessante, secundariam vel accessoriam cessare debere, hinc obsides liberari, per se patet. Neutiquam vero semet ipsos effugiendo liberare ab obsidatu possunt, sed reddendi sunt, donec cesset causa, cur obsides dati.

\*) Possunt tamen themata concipi, vbi obsidibus effugere licet, v. c. Si contra ius et extincta obligatione retineatur a gente in qua versantur, vel si iniuste in eos gens, cui dati sunt, agat. v., *Diss. nostr. de fuga obsidum.*

§. XIX.

Tandem si vel gens genti laesae satisfecerit, cessat bellum et pax restituitur ipso iure. Cum enim bellum geratur ad obtinendam satisfactionem, hac praestita frustra bello ageretur.

§. XX.

At si partes belligerentes adeo sese debilitarunt, vt bello continuando atque prosequendo amplius pares haud sint, tunc cogitant pariter de pace mediante



paſto reſtituenda. Hinc inuicem legatos mittunt inſtructos ſatis, qui conditiones pacis inuicem conficiant, quibus ex vtraque parte comprobatis ceſſat bellum atque reſtituitur pax.

\*) Quae inter gentes liberas obſeruantur ſolemnia in pace facienda, pleraque accidentalia ſunt. Hinc quod conditiones pacis literis demandentur, quod non tantum a legatis ſubſcribantur, ſed ab ipſis principibus gentes repraeſentantibus ratihabeantur, quod antequam congreſſus pacis habeantur, induciae ſiant, mediatores eligantur, qui officia inter legatos de pace agentes interponant, et quae ſunt alia, haec magis cautionis et probationis ergo obſeruantur, quam neceſſitatis.

### §. XXI.

Pace vero facta atque conditionibus comprobatis, promiſſa ab vtraque parte ſancte ſunt adimplenda, niſi nouo iurgio anſam praebere velint gentes.

F I N I S.



IN.



# I N D E X

## R E R V M E T V E R B O R V M .

---

### A.

<b>A</b> <i>blegati et Ambassadors, an haec differentia in essentialibus legatorum iuribusque quid mutet?</i>	p. 165.
<i>Accessio, ad quos modos acquirendi referatur?</i>	
70. et quomodo diuidatur?	71
<i>Actio, an detur quaedam iure naturali non prohibita, quae diuina reuelatione interdicta?</i>	18
<i>Actiones, quae imputentur</i>	5
<i>Actiones alienae, quando nobis imputari queant?</i>	6
<i>Actionum coactarum causae, vbi quaerendae?</i>	4
<i>Actiones in ebrietate, quando imputari non possint?</i>	7
<i>Actiones hominum, quo se referant?</i>	12
<i>Actiones humanae, quotuplices?</i>	1. 2. 3
<i>Actiones humanae naturales, quae?</i>	1. <i>morales,</i>
quae? 2. <i>liberae,</i> quae? 3. <i>coactae,</i> quae?	3
<i>inuitae,</i> quae? 3. <i>proprie coactae,</i> quae?	3
<i>Actiones impossibiles, an possint imputari?</i>	8
<i>Actiones morales, quae magis non actiones dicendae?</i>	4
<i>Actio moralis, quae iusta et iniusta?</i>	29
<i>Actionum physicarum, an detur imputatio?</i>	4

N s

*Actio-*

# INDEX

*Actiones in somno vel in somnio, an imputari possint?* 7

*Adulterium, an iure naturae iniustum sit?* 46

*Aequalitas, an inter gentes ipsas sit perfecta?* 145

*Aristocraticus, quid?* 138

*Arma, an natura definiat, an illa potius arbitrio  
belligerentium relicta?* 112

*Arma licita et illicita, an iuri naturali incognita?* 112

*Armorum differentia, an inter gentes ignoretur?* 190

## B.

*Bellum, quid?* 107

*Bellum, an a natura concessum sit?* 118

*Bellum, an naturae lege concessum sit?* 113

*Bellum, an detur in infinitum?* 114

*Bellum, quotuplex?* 190

*Bellum, quando cesset?* 115

*Bellum defensuum, quid?* 108

*Bellum offensuum, quid?* 108

*Belli indictione, an inter gentes opus sit?* 190

*Belli iura, quando cessent?* 192

*Belli iustitia, num ex clarigatione pendeat, et  
quae iusta illius causa?* 109. 110. et seq.

## C.

*Civitas, quid?* 132. *quae prima?* *ibid.* *quae  
illius fundandae prima extiterit causa* 132

*Civitatum vera origo, quae?* 134

*Cives et subditi, an nascantur?* 136

*Civitatum formae regulares, quae?* 138. *irregu-  
lares, quae?* *ibid.*

*Civ-*

## RERVM ET VERBORVM.

<i>Ciuitatis fundamentum primum, in quo ponendum?</i>	135
<i>Clarigatio vel belli indistio, an iuris vel humanitatis?</i>	109
<i>Clarigatio, an cum postulatione satisfactionis ob illatum damnum iure competentis confundenda?</i>	109
<i>Coactionis media, vbi inueniantur?</i>	189
<i>Cognitio ex dictamine recte rationis, qua ratione perficiatur?</i>	19
<i>Collegium, quid?</i>	121
<i>Collegii constitutio, quid addat</i>	123
<i>Collegium, quando existere non possit?</i>	122. 123
<i>Collegii seu societatis finis, quis?</i>	125
<i>Collegii membra, quando recipi possit?</i>	126. et
<i>quibus fruuntur iuribus, ibid. et an vnilaterali dissensu ex collegio recedere possint</i>	128
<i>Collegiorum seu societatum diuisio, quae</i>	127
<i>Collegium s. societas, quam diu constitui possit?</i>	125
<i>Collegii iustitia, vnde pendeat?</i>	122
<i>Collegium, quando tolli possit?</i>	130
<i>Collegium, an mortem patiatur?</i>	130
<i>Commissarii, qui dicantur?</i>	169
<i>Conditio possibiliis, quae?</i>	81
<i>Conditio impossibilis, quo referenda?</i>	81
<i>Consanguinitatis affinitatisque ratio, an prohibitionis causam det?</i>	47
<i>Consensus in pactis, circa quas res et facta versatur?</i>	78
<i>Consensus, quomodo exprimi possit?</i>	78
<i>Con-</i>	

## INDEX

- Consensum Gentium*, qui tanquam cognoscendi principium agnouerint? 31  
*Contemnere*, quid haec vox significet? 39  
*Contemptus*, quomodo fiat? 39. quas habeat causas? 40

### D.

- Dammum*, quid? 103  
*Decalogum*, quis tanquam naturalis iuris principium agnouerit? 34  
*Defensio*, an permittitur? 116. in quo consistat? *ibid.* an in defensione armorum genus, aut aliud quidquam prohibitum? 116. et, an defendens se iniuste agat? 117  
*Deputati*, qui? 170  
*Deum non potuisse non creare humanum genus eique rationem concedere ad certos fines*, unde pateat? 9  
*Democratia*, quid? 138  
*Despota et Rex*, an synonyma? 133  
*Dictamen rectae rationis*, an principium primum? 35  
*Disceptationem de Iure Naturae Paradisaeo*, qui agitauerint? 31  
*Dominium*, quid? 58  
*Dominium*, in quo consistat? 67  
*Dominum*, quid constituat? 149  
*Dominii in originarium atque deriuatum distinctio*, unde pateat? 66  
*Dominium deriuatum*, quando sese exerat? 67  
*Dominium originarium*, quid? 66  
*Dominii Quiritarii et Bonitarii distinctio*, quomodo explicari possit? 66  
*Domi-*

# RERVM ET VERBORVM.

<i>Dominium</i> , quomodo differat Iure Naturae a possessione	68
<i>Dominii obiectum</i> , quae res?	67.
<i>Dominium</i> , an accessione gens acquirere possit?	152
<i>Dominium</i> , an praelcriptione inter gentes acquiri possit?	154
<i>Dominium</i> , an genti tribuat pactum?	152
<i>Dominium</i> , an inter gentes acquiratur vsucapione?	154
<i>Iuri Domini</i> , an renunciare possim?	66

## E.

<i>Envoyés</i> , qui?	165.
<i>Error ignorantique</i> , quando imputari non possit?	7

## F.

<i>Faeta</i> , quae promitti queant?	80
<i>Faeta indecora atque inhonesta</i> , an obiectum fiant pacti?	79
<i>Familiae ius</i> , quid?	50
<i>Foedera</i> , quae? 157. quoruplicia?	ibid.
<i>Foedera seu pacta Commerciorum</i> , quae?	161

## G.

<i>Gens</i> , quid? 139. et quoruplex in gente ratio?	139.
<i>Gentium aequalitatis causa</i> , quae?	46
<i>Gentes</i> , an liberae, et vnde, et an tollatur haec libertas?	145
<i>Gentes</i> , si nominentur, an moratiores tantum intelligendi?	143
<i>Gens</i>	

# INDEX

<i>Gens</i> , an patriatur iacturam aequalitatis et libertatis status, si formam mutet?	147
<i>Genti</i> , an facultas competat libere de re propria disponendi?	149
<i>Gens</i> , an de priuatis libere disponat rebus?	150
<i>Gens</i> , quomodo dominium in rebus nullius acquiratur?	151
<i>Gens</i> , quomodo dominium acquirat rerum a gente?	152
<i>Gens</i> , quomodo acquirat dominium rerum hostium?	152
<i>Gens</i> , an genti alteri praescribere possit?	146
<i>Gentium foedere unitarum obligatio</i> , quae?	159
<i>Gentis singula membra</i> , an exorto bello fiant hostes? 191. et an idem ius genti in singula gentis, hostis membra competat quod hosti in hostem?	191
<i>Regulam de Iuris naturalis graduum prohibitionem</i> , quis nobis exhibuerit?	48
GROTIUS, <i>Hugo</i> , an primus fuerit, qui iurisprudentiam naturalem ad humanam vitam applicatam Systemate exhibuerit?	21

## H.

HOBBS, <i>Thomas</i> , quid neget et quae principia sequatur? 22. eius contradictores	ibid.
<i>Homo</i> , quid?	1
<i>Homines</i> , quomodo natura distinguantur?	38
<i>Homo moralis</i> , quomodo agat?	2
<i>Hominibus moralibus</i> , qui accenseri nequeant	2
<i>Hominem animal cum homine morali</i> , qui confundant?	32
<i>Homi-</i>	

# RERVM ET VERBORVM.

<i>Homines morales, an obligati ad cognoscendas leges naturales?</i>	16
<i>Homo moralis qui esse desinit, an ex pacto obligatus sit?</i>	98
<i>Homini, an in eos fines, quos creator intendit, ius competat, et an conseruationi propriae renunciare possit?</i>	28
<i>Hominibus, an competat ius omnibus rebus vtendi abutendiuē?</i>	63
<i>Homo, quare a Deo ad certos fines creatus, et quae obligatio in homine fuerit?</i>	28
<i>Homo, an potuerit agere contra fines creatoris, et cur?</i>	11
<i>Hominum animi et voluntates, an citra imperium constitutum vniri non possint?</i>	136
I.	
<i>Imperium, quid? 137. et an cum <i>δυσπορα</i> confundi queat?</i>	<i>ibid.</i>
<i>Imperiorum origo, an voluntati diuinae tribui possit?</i>	134
<i>Imputare, quid?</i>	4
<i>Infantes, qua aetate incipiant homines fieri morales?</i>	2
<i>Iniuste, quando agam?</i>	40
<i>Instituta arbitraria gentium, an ius dici possint?</i>	142
<i>Integritatis statum, quis primam demonstrandi legem posuerit?</i>	31
<i>Inuentio, an diuersa ab occupatione?</i>	70
<i>Iura connata inter gentes, quae?</i>	144
<i>Iura inter gentes, quoduplicia?</i>	144
<i>Iura acquisita inter gentes, quae?</i>	144
<i>Iura-</i>	



# INDEX

<i>Iuramenta, quomodo diuidi queant?</i>	85
<i>Iuris gentium cognoscendi principium, quod?</i>	144
<i>Iuris ignorantia, in foro iuris naturalis an excuset?</i>	8
<i>Iurisprudencia naturalis, quae?</i>	19
<i>Iuris naturalis prudentia, quando enata sit?</i>	21
<i>Iurisprudencia naturalis, an Scholasticorum tempore occulta latuerit?</i>	20
<i>Ius, quomodo consideretur?</i>	12
<i>Ius cogendi, an mihi laeso competere debeat in laedentem ad consequendam damni reparationem?</i>	106
<i>Ius conuenientiae, an in emetiendis gentium iuribus diiudicandisque actionibus fundamentum sit?</i>	183
<i>Ius gentium, quid?</i>	140
<i>Ius gentium uniuersale, quid?</i>	141
<i>Ius gentium particulare vel positium, quid?</i>	141
<i>Ius in re, an amissione tollatur?</i>	91
— an derelictione rei tollatur?	92
<i>Ius in re gentis, quando tollatur?</i>	177
<i>Ius in re, an morte exspiret?</i>	92
— an occupatione tribuatur? 90. et an eadem adimatur	ibid.
— an traditione amittatur?	91
<i>Ius libere disponendi de re mea, quid?</i>	66
<i>Ius naturae, quid?</i>	14
<i>Iusiurandum, an permissum?</i>	87
<i>Ius naturae, ut existat, an necessarium sit?</i>	12
<i>Ius naturae, an aeternum dici queat?</i>	16
<i>Ius naturae, an cognouerint veteres?</i>	19
<i>Ius</i>	

# RERVM ET VERBORVM.

<i>Ius naturae, vnde cognoscatur?</i>	14
— an idem sit cum positio vniuersali?	17
<i>Ius naturale, quomodo homines consideret?</i>	51
<i>Differentia inter Ius naturae et ethicam, quae?</i>	13
<i>Ius occidendi, an parens habeat?</i>	53
<i>Ius priuatum vniuersale, quid?</i>	139
<i>Ius priuatum ciuile, quid sub se comprehendat?</i>	139
<i>Ius priuatum particulare, quid?</i>	140
<i>Ius publicum, quid?</i>	140
<i>Ius publicum vniuersale, quid?</i>	140
<i>Ius publicum particulare, quid?</i>	140
<i>Ius, quando expiret id, quod gens in re habet?</i>	176
<i>Ius, quibus promulgatum non sit?</i>	15
<i>Ius quod domino in seruum competit, in quo consistat?</i>	60
<i>Ius vendendi liberos, an parenti, vt parenti competere possit?</i>	54
<i>Ius vitae et necis, an domino in seruum dari queat?</i>	61

## L.

<i>Laesio, quid inuoluat, 99. quando oriatur?</i>	100
— quotuplex?	107
— vnde iudicanda?	100
— quomodo inferatur committendo?	102.
— quomodo omittendo?	ibid.
— quomodo inferatur?	102.
— quomodo distinguatur, 102. <i>mediata</i> , quae,	
<i>ibid.</i> , quid in laesione obseruandum?	103
	<i>Laesio,</i>

# INDEX

<b>Laesio</b> an in aestimatione damni, quanta etiam sit, proprie cogitari possit?	105
— quando cesset?	106. 130
— quando oriatur?	181
— varia genera?	182
— an genti illata sit, si gens citra culpam suam obligationi non faciat satis?	182
— an gentem ipsam adficiat, si persona maiestatem habens, conditione vtens priuata laedatur in suo iure perfecto?	182
— quando non oriatur, neque gens ad damnum resarciendum teneatur?	184
<b>Laesiones</b> , quae non dici queant?	186. 187.
<b>Leges naturales</b> , quomodo homini innotescant?	14
<b>Legatus</b> , quis?	164
<b>Legati admissio</b> , quid inuoluat, 164. an haec admissio sit humanitatis, an necessitatis?	165
<b>Legatorum</b> , variae distinctiones,	165
<b>Legati siue primi siue secundi ordinis</b> , quotuplices?	166
<b>Legati ordinarii</b> , qui?	167
<b>Legati plenipotentiarii</b> , qui?	167
<b>Legatus</b> , an possit a maiestate nomine gentis ablegari ad gentem, quae suppressa est? 168. an ad alterius gentis subditos?	168
<b>Legati mittendi ad liberam gentem ius</b> , an habeant subditi?	169
<b>Legatum</b> an populus solus, qui maiestatem vel optumates vel monarcham constituit, ad liberam gentem possit mittere?	169
	<b>Legat-</b>

# RERVM ET VERBORVM.

<i>Legatum, quis agere possit?</i>	170
<i>Legati officium, quod?</i>	172
<i>Legatus, an gaudeat libertate sermonis, 172. in quo consistat?</i>	<i>ibid.</i>
<i>Legatus, quando fiat hostis gentis, apud quam versatur, 173. et an gens ex factis legati sui obligetur, et an iura acquirat,</i>	174
<i>Legatus, an sit immunis ab omnibus oneribus,</i>	174
<i>Legatus admissus, an fiat subditus gentis ad quam missus?</i>	174
<i>Legatus, quando iuribus frui possit suis, 174. et an omnes, quos in suo habet comitatu, quorumque vitatur ministerio, immunitate gaudeant?</i>	175
<i>Legatio, quando finiatur?</i>	175
<i>Legis iurisque valor, vnde pendeat?</i>	14
<i>Legum permissiuorum defensores, qui?</i>	17
<i>Legum vis, quae?</i>	17
<i>Lex, a quo tempore obliget?</i>	16
<i>Lex naturae prima, quid prohibeat?</i>	98
<i>Lex permissiva, an sit?</i>	17
<i>Lex prima, qualis esse debuerit?</i>	23
<i>Lex prima proximaque Iuris naturalis, quae?</i>	28
<i>Litterae credentiales, quae?</i>	164

## M.

<i>Maiestas, quid?</i>	137
<i>Manifestationes, quae?</i>	190
<i>Matrimonium, quid?</i>	43
<i>Matrimonium, an masculi duo celebrari nequeant?</i>	44

# INDEX

<i>Matrimonii obligatio</i> , quo nitatur, 46. quando cesset?	47
<i>Metus crescentis potentiae</i> , an iusta sit belli causa?	187
<i>Monarcha</i> , quis?	138
<i>Monarcha</i> , an in Monarchia plus maiestatis habeat, quam optimates in Aristocrazia, et populus in Democratia?	138
<i>Monarchia</i> , quid?	138
N.	
<i>Nuptiae secundae</i> , an prohibitae?	48
O.	
<i>Obligatio</i> , quid, 74. unde oriatur, 74. <i>innata</i> , quae, 74. <i>acquisita</i> , quae?	75
<i>Obligationis fons</i> , male ab utili petitur?	11
<i>Obligatio legis et iuris</i> , qua relatione respicienda?	18
<i>Obligatio legum naturalium</i> , unde pendeat?	15
<i>Obligatio</i> , quando deficiat?	81
— quando existat,	81
— quando pendeat?	81
<i>Obligationes</i> , quo referantur?	85
<i>Obligatio accessoria</i> , ubi a nonnullis queratur?	85
<i>Obligationis tollendae</i> , an dissensus partium communis iustus sit modus, et quando?	97
<i>Obligationis vis in pacto</i> , unde veniat?	156
<i>Obligatio</i> , an inter gentes possit tolli remissione?	179
<i>Obligatio</i> , an dissensu gentium bilaterali pacto inter se obligatarum cesset?	179
	Oblig-

# RERVM ET VERBORVM.

<i>Obligatio ad tempus contracta, an elapso tempore inter gentes cesset?</i>	180
<i>Obligationis vis, an etiam morte maiestatis in re publica monarchica expiret?</i>	180
<i>Obligatio, an laesione tollatur inter gentes?</i>	180
<i>Obligationis vinculum, an morte cesset ciuitatis? ib.</i>	
<i>Occidere aliquem et eripere libertatem, quod maius</i>	59
<i>Occupatio, qualis modus sit?</i>	177
— quando detur, et quid sequatur?	64
— quo referatur?	70
<i>Officiorum genera, qui doctores inter se commiserent?</i>	33
P.	
<i>Pacisci, qui possint?</i>	75. 76
<i>Pacisci, an pure tantum possimus?</i>	80
<i>Pactum, quid?</i>	75
<i>Pactum gentis, quid?</i>	155
<i>Pactum, quid praesupponat?</i>	80
<i>Pactorum obiectum et finis, vnde pendeat?</i>	156
<i>Pactum, an eo vsque obliget, quousque alterius vtilitati conueniat?</i>	155
— ad quos modos acquirendi referatur a nonnullis, 71. quem obliget?	71. 72
<i>Pactorum diuisio, quae?</i>	78
<i>Pactum purum, quando?</i>	81
<i>Pactum sub conditione, quando?</i>	81
<i>Pactum sub conditione possibili inistum, vnde pendeat?</i>	81
<i>Pactum ex die, quid?</i>	82
<i>Pactum ad diem, in quo positum?</i>	82
<i>Pactum alternatiuum, quid?</i>	82
O 3	Pa-

# INDEX

<i>Pactum sub modo, quid indicet?</i>	82
<i>Pacta principalia, quae?</i>	84
<i>Pacta accessoria, quae?</i>	84
<i>Pactorum successorum an naturali lege effectus   effet possit?</i>	95
<i>Pacta illustriora, quae?</i>	156. 157
<i>Pacta Guarantiae, quae?</i>	160
<i>Pactum imperii, quando enatum?</i>	136
<i>Pacta neutralitatis, quae,</i>	162
<i>Pactum iuste initum, cur perfecte partes consen-   tientes obliget?</i>	83
<i>Pacti vis, an expiret, si impediatur, quo minus id,   quod pacto promiseram, adimplere nequeam?</i>	98
<i>Patria potestas, unde deducatur, 50, et in quo   consistat?</i>	50, 51
<i>Potestas patria, an iure naturali parentibus com-   petat in liberos?</i>	51
<i>Effectus et obligationes parentum et liberorum, un-   de deducendi?</i>	55
<i>Partum exponendo, an parens iniuste agat?</i>	53
<i>Pax, quando obtineatur, 118. an ex pacto inter   laesum et laedentem fieri possit?</i>	ibid.
<i>Pacis condiciones, quid concernant?</i>	119
<i>Pacis pactum, quid imponat?</i>	125
<i>Pacis promissio, an sola restituat securitatem?</i>	120
<i>Pollicitatio, quid,</i>	76
<i>Polygamia et Polyandria, an permittatur, an pro-   hibeatur naturali lege?</i>	44
<i>Possessio, quid?</i>	62
<i>— in quo consistat?</i>	65
	Pos-

# RERVM ET VERBORVM.

<i>Possessio</i> , quotuplex?	69
<i>Possessionis modus</i> , quotuplex?	69
<i>Potestas maritalis</i> , an iuris civilis, an naturalis sit?	49
<i>Praescriptio</i> , ad quos acquirendi modos referatur, 72. cuius iuris habita a Romanis?	73
<i>Princeps</i> , in matrimonium ducentem Principisfam, sibi subditam non acquirit.	50
<i>Principium cognoscendi Iuris naturalis</i> , quotuplex?	25
<i>Principii iuris naturae proximi demonstrandi</i> , quam viam ingressus sit TREVERVS?	29
<i>Principium cognoscendi proximum</i> , an in Iurisprudencia naturali omnes constituent doctores?	26
<i>Principia plura cognoscendi</i> , cur quidam eligant, 26. an vnum solummodo principium esse debeat, 27. et verum evidens et adaequatum illud sit?	27. 28
<i>Iustinianum qui sequuntur in eligendo principio</i> , an rectius agant?	34
<i>Promissiones pignorum hypothecarumque</i> , quo referantur?	85
<i>Promulgatio</i> , quid?	14
<i>PVFENDORFIVS, Samuel</i> , quid scripserit, quo libello aduersariorum calumniis satisfecerit, et quid non semper accurate distinxerit?	23. 24

## R.

<i>Rescissio negotii</i> , an sub praetextu laesionis in vero pretio dari possit?	106
<i>Reservationes mentales</i> , quid?	88
<i>Repressalia</i> , an iniusta?	115

Q 4

Re



# INDEX

<i>Repressalia</i> , an inter liberas gentes iusta sint, et quando?	189
<i>Res priuatorum</i> , quae?	139
<i>Res publicae</i> , quae?	149
<i>Respublica Cainitica</i> , an origo rerumpublicarum?	132
<i>Reipublicae forma</i> , quae?	137
<i>Reipublicae formam</i> , quid constituat?	137
<i>Res</i> , quae gentis sunt propriae, quotuplices?	149
<i>Res</i> , quae antea gentis erant, si gens mortem patiatur, cuius fiant?	177
<i>Res uniuersitatis</i> , quae?	128

## S.

<i>Sanctitatem iustitiamque Dei</i> , qui primum cognoscendi principium agnoscant?	32
<i>Satisfactio</i> , quid, 104. quomodo illa fieri debeat,	<i>ibid.</i>
<i>Satisfactionis determinatio et damni aestimatio</i> , unde pendeat?	184
<i>Scriptura et alia solennia</i> , an ad pacti vim obligandi quid conferant?	156
<i>Sortitio</i> , iure naturali an comprobatur?	45
<i>SELDENVS, Ioannes</i> , quid in iurisprudencia naturali defenderit, et an recta incedat via secundum Ebraeorum doctrinam?	22. 23
<i>Seruitus</i> , an a natura?	58
— quot causas habeat?	59
<i>Seruus</i> , an in commercio sit?	61
<i>Seruo</i> , an possit iniuria a domino inferri?	60
<i>Seruus factus</i> , quando libertatem consequatur?	62
<i>Sponsalia</i> , an iuris sint naturalis?	48
<i>Socie-</i>	

# RERVM ET VERBORVM.

<i>Socialitatis principium, an adaequatum Iuris naturae principium?</i>	33
<i>Societati, an liceat poenas statuere conventionales obligationum transgressionibus?</i>	130
<i>Socius, quando fiat hostis collegii?</i>	129
<i>Solutio, quid?</i>	179
<i>Statum quod reddit feliciorum, id faciendum, quod deteriorem fugiendum, an satis conveniens lex naturae prima esse poterit?</i>	33
<i>Status, quid?</i>	36
<i>Status, quotuplex?</i>	36
<i>Status naturalis, in quo versetur?</i>	37
<i>Statutorum ratio, quae?</i>	125
<i>Stimulum naturae, quare creator indiderit?</i>	42
<i>Sucessio testamentaria, an arbitrarium iuris civilis,</i>	92
<i>Sucessio intestati, an Iure naturali ignoretur?</i>	94

## T.

<i>THOMASIVS, Christianus, quid docuerit?</i>	24
<i>Tractatus nudi, an obligant in pacto?</i>	156
— — quando non obligatorii sint?	78
<i>Translatio, in quo consistat, 72. et quotuplex? ibid.</i>	
— an inter modos tollendi iuris in res sit,	177
— ad quos acquirendi modos referatur?	71
<i>Translatio rei meae in alterum, quomodo fiat?</i>	66
<i>Tutela, quid, 56. et an naturalis iuris?</i>	57
— cur inuenta inter homines?	56
<i>Tutoris officium, an nobis lex naturae imponat?</i>	56

## V.

<i>Victus in bello, qui resistere amplius nequit, an possit ex iustitiae legibus postulare, ut pacem in-</i>	
<i>cat victor?</i>	117

# INDEX RERVM ET VERBORVM

<i>Vindicatio rei, an iure naturae adsit?</i>	74
<i>Violentia, an ciuitatis origo?</i>	135
<i>Voluntatem Dei, qui habeant cognoscendi principium?</i>	30
<i>Vsucapio, an ad acquirendi modos deriuatiuos pertineat, 72. cuius iuris habita a Romanis?</i>	73
<i>Vsus atque abusus, quid praesupponat?</i>	64

## Errata,

Pag. 3. lin. 6. coactorum *lege* coactarum. p. 6. l. 15. ad quem *lege* ad quam. p. 9. l. 16. diuinas *leg.* diuinos. p. 16. l. 19. coniungatur *leg.* coniungantur. p. 19. l. 15. e *lege* et. *ibid.* l. 16. det *leg.* de. p. 20. l. 1. quam *leg.* quas. *ibid.* l. 22. quisquis *leg.* quisquiliis. *ibid.* l. 23. inutilissimorum *leg.* inutilissimarum. p. 21. l. 8. quorum *leg.* quarum. p. 23. l. 14. inactus *leg.* nactus. p. 28. l. 20. homine *leg.* homini. p. 29. l. 4. externa *leg.* externae. p. 31. l. 2. quem *leg.* quam. p. 36. l. 6. *deleatur* nonnulli. p. 39. l. 14. animo *leg.* animi. p. 43. l. 7. *αὐτονομίας* *leg.* *ἐπιχειρηματίας*. *ibid.* *γυμνασίου* *leg.* *γυμνασίου*. p. 45. adferuntur *leg.* adferuntur. p. 54. *in fin.* vendi *leg.* vendi. p. 72. l. 15. quod minus *leg.* quo minus. p. 77. l. 6. comparatam *leg.* comparatum. p. 79. l. 19. iniure *leg.* iniuri. p. 96. l. 16. praestiderit *leg.* praestiterit. p. 97. l. 9. efficacia l. efficacia. p. 103. l. 5. suppetitem *leg.* suppeditem. p. 104. l. 4. quae *leg.* qui. 105. §. XIV. *leg.* §. XVI. p. 109. l. 14. quali *leg.* qualem. p. 111. l. 11. subiectam *leg.* subiectum. p. 112. l. 8. *deleatur* alios. p. 115. l. 11. *leg.* iniusta erunt repressalia. p. 120. l. 16. illatarum *leg.* illatorum. p. 121. l. 22. cognito *leg.* cognitio. p. 124. l. 16. oligationes *leg.* obligationes. p. 126. l. 12. qui *leg.* quae. p. 131. l. 3. societas *leg.* societates. p. 137. l. 13. submissam *leg.* submissum. p. 141. l. 14. quas *leg.* quae. p. 142. l. 17. qui *leg.* quae. *ibid.* l. 20. qui *leg.* quae. p. 151. l. 15. eum *leg.* ciuem. p. 154. l. penult. egae *leg.* aeque. lin. ult. seniet *leg.* veniet. p. 159. l. 9. eum *leg.* cum. l. 13. laesurum *leg.* laesuram. l. 18. laesuris *leg.* laesa. p. 166. l. 16. cui *leg.* cui. p. 168. l. 3. a quo *leg.* a qua. p. 175. l. 5. vitur *leg.* vtuntur. p. 178. l. 19. definat *leg.* definat. p. 180. l. 11. Tantem *leg.* tandem. p. 185. l. territorium *leg.* territorium. p. 188. l. 17. vd *leg.* vt. p. 189. l. 13. repressalae *leg.* repressalia. p. 192. l. 21. victa *leg.* victi.

ORA

ORATIO  
INAUGVRALIS  
DE  
NEGLECTV  
IVSTITIAE  
IN NEGOTIIS  
LIBERARVM GENTIVM.

CHICAGO

REPUBLICAN PARTY


TO

WINDY CITY

CHICAGO

CHICAGO

CHICAGO



RECTOR  
ACADEMIAE MAGNIFICE  
ILLVSTRISSIMI COMITES,  
VIRI ILLVSTRES SVMME VENE-  
RABILES, CONSVLTISSIMI, EX-  
PERIENTISSIMI, EXCELLEN-  
TISSIMI, AMPLISSIMI,  
VOSQVE  
IVVENES GENEROSISSIMI ATQVE  
PRAENOBILISSIMI,  
PATRIAE SPES, NOSTER AMOR.

**S**i quae est officii pietatisque ratio,  
quam ingenuus atque liberalis ani-  
mus probe perpendere debet, ea  
est, quae a beneficiorum comme-  
moratione atque a grauitudine initium  
capit. Nolite ergo mirari meam, qui in  
dicendo parum eloquens parumque dif-  
fertus sum, audaciam atque prope de-  
mentiam, quod hanc cathedram adscen-  
derim atque in praesentia tantorum VI-  
RO.

RORVM, qui non eruditione solum, verum et dicendi copia me longe superant, tamen inculta atque incompta oratione dicere constituerim. Vix profecto ipsi mihi incepti veniam darem, quamvis humanae fragilitati atque philantiae proprium sit, ut, quae nosmet ipsi commisimus, facilius excusamus, nisi officii gravitas aliquo saltem modo mihi excusandi copiam praestaret. Facile quidem concedam, nec Demosthenis in dicendo elegantiam, nec Ciceronis copiam, nec Plinii cultum in me deprehendi, quamvis ea omnia in me coniuncta optem, quo elegantius, quo copiosius, quo ornatus officio, quod mihi impositum est, possem facere satis; tamen VESTRA est AUDITORES O. O. H. benevolentia VESTRA humanitas, VESTRA denique gratia, quae mihi animum dicenti addit. Hanc ergo benevolentiam VESTRAM, hanc humanitatem atque gratiam pie imploro. Hanc spem atque fiduciam alo, fore, ut veniam sitis daturi oratori, qui lubentius Auditorum subsellia occupasset suamque in dicendo imperitiam occultasset, nisi summa illa pietas,

tas, qua animus ad dicendum impellitur, me excitaret, atque gratitudinis, reuerentiae, deuotionis, subiectionis atque obsequii iura praeciperent, vt non dicerem tantum, sed, vt depulso omni timore non placuisse, pia nuncuparem vota. VESTRA ergo honorificam praesentiam PROCERES AMPLISSIMI, VESTRA frequentiam COMMILITONES OPTVMI efficiet, vt VOS appellem, rogem atque exorem, velitis adesse testes atque testari, me, si satisfacere officio nequiuero, tamen pro ea, quae in me est imbecillitas atque verecundia, satisfacere saltem voluisse. At quae est illa tanti officii causa? quae ratio cogit me ad dicendum? Quae obligatio imponit votorum nuncupandorum necessitatem? Iussit SERENISSIMVS atque POTENTISSIMVS REX, FRIDERICVS AVGVSTVS, PATER PATRIAE CLEMENTISSIMVS, PRINCEPS OPTVMVS, vt in hac Musarum sede vltimis terrarum finibus celeberrima et VIRORVM grauissimorum, qui in ea docent, sapientia summa, diuina eruditione, acutissima prudentia, et Auditorum



rum illustrissimorum, generosissimorum  
 singulari copia atque elegantia splendidi-  
 issima sua autoritate regia, suo iussu,  
 suo denique nutu, Iura, quae Natura de-  
 dit, quaeque apud Gentes liberas obli-  
 gant, in hac inquam Academia publice  
 atque ordinarietradam. Quanta est haec  
 gloria, qua regia munificentia praeter  
 omnem spem, praeterque opinionem,  
 sponte me auctum ornatumque video!  
 Quantus est honos, qui me ad sociatum  
 video iis VIRIS, quos eruditionis singu-  
 laris gloria atque fama diu immortales  
 fecit! Quantum est beneficium, quo  
 labores meos meamque industriam aca-  
 demicam REGIAE CLEMENTIAE  
 ornare placuit, quae me successorem in  
 munere constituit, quorum memoriam  
 nec secula intermori patiuntur! Et quis  
 ego sum, cuius nomen Indulgentissima  
 MAIESTAS post Rechenbergium,  
 Kuhnholdum, Hœcknerum, Mascouium  
 Antecessores nominari voluit. Vos A.  
 O. O. H. estote iudices, quale quantum-  
 que in agendis gratiis mihi adimplen-  
 dum sit officium. Et quidni de VE-  
 STRA humanitate atque indulgentia,  
 qui

qui ipsi officii magnitudinem nostis, veniam sperarem, si non disserta, qua debebam dicam lingua, sed si inculto quodam sermone atque prope vagitu officium implere tendem. Beneuolas aures animumque ad condonandum facilem praecor!

Sapientissimus Naturae Conditor in creando homine, ut sua est sapientia, est enim maxima, ad externam hominis felicitatem aequalitatis libertatisque statum sufficere arbitrabatur. Sicuti enim aequalis omnium nascendi conditio eras, nullo penitus discrimine obseruato; ita omnibus eandem libertatis aequalitatisque perfectae dedit conditionem. Aucto post primum humani generis interitum, hominum numero, cum iniusta vi, suppressione improba vel metu et in homines dominia et ipsa imperia introducerentur, tamen seruauit iis, quos sibi elegerat, quosque destinauerat, ut ex iis aliquando salutis atque felicitatis in omne aeuum duraturae, perfectionisque amissae restaurator auos suosque maiores enumeraret. Populi Iudaici membra ex Aegyptiaca seruitute in libertatem vindicata,

P

sub

Sub DEOCRATIA nullum alium tunc agnoscebant statum, quam innatae illius aequalitatis atque naturalis libertatis, donec petendo regem, diuino illo imperio amplius non obsecutura, sese huic naturae beneficio indigna redderent.

Quo sanctior illae naturae status esset, quem diuina prouidentia, quae homini bene esse volebat, sapientissimis legibus munitum firmatumque effecerat, eo grauior erat hominum obligatio ad seruandum illum diuino beneficio acceptum statum. At quae illa hominum insania, qui studio quasi atque improbo quodam impetu ab his ipsis a Diuino Numine sapientissime praescriptis legibus recedebant, imo turbando aliorum libertatis aequalitatisue statum, suam ipsimet libertatem suamque aequalitatem destruebant. Neque exstructis demum rebus publicis ab hac sua insania ad meliores mores reducebantur, sed quas antea iniustitias singuli committere non dubitauerant, has integrae gentes in alias exercebant. Ferocia temporum priorum humanae sapientiae neglectus, poterant vel aliquo modo priores gentes excusare;

re; at quae tunc erat excusatio, cum exulta politaque philosophia, moratiores illorum temporum gentes aliter haud agerent, quam quas barbaras dicerent? Quae natio inter antiquas gentes Graecos superavit laude sapientiae? Qui Rex a sapientiore illorum temporum praeceptore educatus atque eruditus fuit Alexandro, quem an a bellorum numero an ab iniusticiarum commissarum copia posterior aetas Magnum dixit, me ignorare fateor. Et si Graecos, si Alexandrum, imo si ipsos adeo Romanos laude humanitatis celebratissimos intuemur, quis est, qui omnes harum gentium actiones approbet iustasue pronunciet, et qui cuncta eorum bella naturae legibus convenientissima putet? Quae fuit illa laesio a Scythis Macedonibus illata, a quibus eorum sedes per tot milliaria diffidae erant, et tamen bellum parabat Alexander. Quae erat grauissima illa Carthaginensium Romanis illata iniuria, ob quam Cato ille, quem iuris peritia pariter atque eloquentiae studio prudentissimum putabant sui ciues, Cato inquam ille sapiens toties in Senatu vociferaretur. Car-

thaginem esse delendam? Quod damnum perpeffi erant a Romanis Cimbri ex extremis prope terrae finibus emigrantes, vt Romanas terras inuaderent, atque ibi sedes sibi paraturi fuiffent, ni felici fide Marius a tanto periculo patriam liberaffet. Et quis poffet omnes prifcorum temporum iniuftitias a liberis gentibus aliis illatas longo sermone enumerare. Dico audientibus VIRIS eruditione fuma conspicuis, quibus haec factis cognita funt atque pefpecta. Neque vero recentior aetas, nec iurifrudentiae naturalis cultura, nec quam gloriantur humanitas efficere potuit, vt potuit, vt iuftas tantum actiones commiferint, atque ab iniuftis actionibus committendis abftinuerint gentes liberae. Quae caufa iniuftitiae mouit Ludouicum, Galliarum Regem Magnum, vtrum rerum geftarum grauitate, an iniuftrarum actionum magnitudine cognominatum, vt vno quali impetu Germanorum terras inuaderet atque deuaffaret, et vrbes provincias atque loca celerrimo aggreffu fuas faceret, ex ea caufa, quod iudicium ad hunc finem a fe ordinatum pronun-  
ciaffet

ciasset, quondam Francico imperio terras illas subiectas fuisse. Quo iure quae iustitia Philippus Andegauensis arma inferrebat in Hispaniam, qui ex testamento et in damnum gentis et in fraudem agnatorum, quibus lex fundamentalis succedendi ius perfectissimum dederat, Hispanis se obtruderet regem. Poterat enim facile perspicere Philippus, etiamsi demus, Carolum II. testamento eum regem nominasse, nec tunc, si nulli adfuerint agnati, occupandi ius quoddam habere potuisse regnum Hispaniae, cum idea gentis liberae haud permittat, ut de ea non aliter disponatur, quam uti paterfamilias in ciuitate de pecudum grege disponere solet. Et nec temporis spatium ad dicendum datum, nec Auditorum O. O. H. patientia sufficeret, ad enumerandas omnes illas iniustitias ab antiquis pariter ac recentioribus gentibus commissas atque quotidie prope adhuc committendas.

Quot fiunt adhuc clades, quot rapinae, quot gentium latrocinia. Mox vrbes deuastantur, aedes tectaque comburantur, subditi ad frangendam suo prin-



politiores atque humaniores, quae tamen illas saepius sua barbarie superant, toties iniustitias alant atque enutriant. Neque illius mali vna mihi esse videtur causa, sed magnus causarum numerus, has perniciosissimas a iustitia deflectendi consuetudines peperit. Inter eas causas quas merito accusamus tanquam origines iniustissimarum inter liberas gentes actionum ponendus videtur conflictus iusti cum utili, seu quod idem est, iuris cum Politia. Inuasit animos multorum hominum, quid dicam, adeo liberarum gentium abominanda illa cogitatio, omnes ad utilitatem emetiendas esse actiones earumque moralitatem, quale quid Carneades olim statuisse videtur. O quam infelicissima cogitatio, ultra Stygias undas abiicienda! Iustum illud tantum reputant, quod conducit, quod prodest, quod ad satisfaciendum libidini, auaritia, atque inuidiae compositum esse videtur. Quae vos docuit liberas gentes ratio, ea esse facienda, quae conueniunt, fugienda contra, quae aliarum gentium pacem, otium, tranquillitatem atque conseruationem promouent. Leges iusti-



tiae a summo vniuersi moderatore idea hominum cordibus inscriptae, vt obtenta pace inuiolabiles facti atque sancti, suam saluam habeant conseruationem, quo eum, quem intenderat sua diuina prouidentia finem, posset obtinere. Ita enim diuinæ sapientiæ conueniebat, vt ad sapientissimos quoque fines ageret immortale Numen. Et hanc suam iustitiam declinari patiatur ad corruptos hominum deprauatosque affectus? Equidem non nego, liberas gentes rectissime teneri vtilitatem suam promouere, suam potentiam augere, suas conditiones meliorare; sed cum ea sit pragmatica disciplinarum moralium natura, ratio atque coniunctio, vt nulla negligatur, quippe omnibus aequaliter interna inest obligandi vis, ita demum vtilis ratio habenda, si sine iustitiæ laesione atque virtutis neglectu seruatis legibus fieri possit. Ni sic agant gentes liberae; ni in dirigendis suis actionibus, id quod iusto conuenit prius adimplendum censeant, quam ad vtile veniant, nulla amplius inter gentes aequalitas. Nihil tam sanctum, tam inuiolabile, tam securum erit, quod non  
ob

ob ius conuenientiae facile laedi atque violari poterit. Potentior gens minus potentem supprimet, non quod ab ea laesionem perpeſſa fit, ſed quod ius conuenientiae ſuadet, hoc eſt, quod alterius gentis diuitiis, opibus, frugibus atque iſtis ciuibus indigeat, ad ſuam potentiam augendam, ſuam libidinem ſatiantiam, ſuam denique auaritiam et inuidiam explendam. Ea gens, quae recti conſcia, quae pacis ſtudioſiſſima nunquam tutam ſe ſua iuſtitia amplius arbitritur, ſi, quod alteri genti utile videbitur, vnicum ſit ſecuritatis praemium, Quo iure gens raptores, latrones, fures, viarum graſſatores puniat, ſi ea eſt iuſtitiae regula, age, quod tuam promouet utilitatem; haec enim vnica eſt rapinarum, latrociniorum, furtorumque committendorum cauſa. Neque opus eſt, vt exemplis ex hiſtoria petitis hanc primam iniuſtitiae cauſam illuſtremus. Si enim omnium prope humaniſſimarum gentium bellorum contemplantur hiſtoriam, ſingulorumque cauſam occaſionemque intuemur, haud pauca habebimus bella, quorum prima cauſa ex ſola utili-

tatis ratione petenda. Altera causa, quae inter liberas gentes iniustas interdum producit actiones, in eo mihi quaerenda videtur, quod neglecta rerum publicarum iusta forma, despotismus inter gentes introductus, vi cuius maiestates semet totam gentem esse sibi persuadent, ciues suos contra rebus suis adnumerent. Facillime patet, si ad vnius rationes cunctae gentium actiones emetiantur, aliter fieri non posse, quam vt Despotas suum regnum ad formam oeconomiae reducat, ciues subditos vel potius seruos habeat instrumenta iniustitiae, vel gregem bouum pecudumue putet, ex qua capita vel vendat, vel mactet, vel aratro iungat, vel saginando pinguefaciat. Venit ex hac improba suppressione liberae gentis alia causa quae iustitiae interdum inter gentes dat origines. Cum Despotae se nemini obligatos credant, et vix interdum Deo se subesse putent, arbitrantur id iustum fore, quod voluntati illorum conveniat. Educatione adsuescunt Despotae, vt ex suorum ciuium parendi consuetudine et necessitate putent, omni humano generi incumbere, vt approbent quid agant,

agant, quidue committant, tanquam iustum, et vt obsequium despotae arbitrio praestandum omnem iustitiam constituat, Quae mortalium misera esset conditio, quod in ciuitates abiissent, in quibus nulla amplius iustitia, nisi Despotae alicuius voluntas, qui sui officii suarumque obligationum ignarus, ciues ideo creatos putet, vt iis vtatur abutaturque, vbi tamen prima ciuitatum causa communis tranquillitatis atque pacis conseruandae fuit studium. Quae alia hinc euenire poterunt, quam quod cum se ipsum non nescat despota, cum se alium habeat, ac vere est, vt in gentis suae causa agenda, quam tamen praeter se haud adesse putat, facile iustitiae limites egrediatur atque laedendo alius gentis ciues, gentem seu quod idem esse, credat Despotam laesum non arbitretur. Hinc ab vnus gentis despota facile in gentem aliam peccabitur, in quam peccatum esse vix credet, quod alterius gentis Despotam non laeferit.

Alia dein causa iniustarum actionum in fiducia potentiae quaerenda. Semper experientia rerum inter liberas gentes

res gestarum innumerabilibus exemplis docebit, eas gentes, quae alias viribus ac potentia superant, cum impune peccari posse sentiant, facile eo deuenisse, ut suo genio quid indulserint, sicque haud raro iniustitiam in alias commiserint. Vix vnquam Carthaginenses, nisi in potentia sua atque viribus posuerint omnem agendi regulam, cum Romanis arma conseruissent. Neque ipsi Romani nisi se omnibus gentibus superiores vi atque armis putassent tot tanta tamque grauia bella gessissent. Quid India, Persia, Aegyptia imo Scytia in Macedones peccauerat, ut ab Alexandro M. inuaderentur? Quis vnquam sibi persuadeat Hispanos, Lusitanos, Gallos, Anglos, Batauos arma sua contra vtriusque Indiae populos vfos fuisse, si vidissent armis, viribusque ac potentia Orientalis Occidentalisque Indiae, vel pares vel maiores populos esse. Quae vnquam commiserant Americae gentes, ut easdem Europaeae haud aliter tractarent ac feras bestias ad venationis studia atque delicias hominum creatas. Est ea interdum hominum improbitas, ut, quod in eorum  
vsum

vsu felicitatemque creatum, haud raro eo abutantur atque in aliorum perniciem conuertant. Haud aliter comparatum inter liberas gentes. Potentia quae ideo salutaris erat genti, quod facile eandem posset ab aliarum gentium violationibus tutam reddere, peccandi dedit occasionem, atque saepe adhibita fuit summa commissa iniustitia in aliarum gentium perniciem atque interitum, quae forsitan tutiores fuissent, nisi altera viribus superior extitisset.

Praeterea saepissime accidit, ut affectus privati iustitiam iniustitiamque liberarum gentium determinent. Quoties enim contingit, ut ii, qui vel a consiliis principum sunt, vel quos amant, vel ex odio privato, vel ex favore, vel ex corruptione vel ex aliis etiam causis et partium studio principis s. maiestatis animum occupent atque facili ratione ad iniustitiam committendam in aliam gentem suis consiliis, artibus atque relationibus deflectant. Constat inter omnes ex historia huius seculi, quantum contulerit privata ratio, ex qua inter confederatas de successione Hispanica dimicantes

tes gentes contra Philippum Andegavensem Angli primum a foedere absque iusta causa discesserint. Quis amplius est, qui dubitat, et superstitionem religionis zelo tectam toties causam iniustitiae inter gentes dedisse, vel quod ipsi qui imperio praeerant superstitiosi, vel quod eos sequebantur, qui interesse suum superstitiosa ratione promouebant. Quae belli iusta causa, propter quam Ludouicus, Hungarorum Rex, pacem cum Turcis antea factam frangeret, nisi Cleri improbis consiliis ad frangendam eam superstitiose incitatus fuisset. Excedit seculum, cum ipsa Germania in sua intestina saeuiret per triginta prope annos, quo bello et nostra patria mox a Suecis, mox ab Austriacis devastaretur. Et si tunc peccandi primam examinabimus causam, ex qua belli initia orta, superstitionem religionis titulo tectam cum habendi libidine improborum consiliariorum et clericorum coniunctam accusabimus. Possem adhuc longam causarum seriem recensere, ex quibus tot iniustae actiones in negotiis liberarum gentium committuntur, tot laesiones aliis inferuntur,

toties

totius leges negliguntur, nisi Vestra A. O. O. H. patientia et gravitate abuterer. Saltem vnicam et quae propria simul causa esse solet, intactam transire nequeo. Hanc vero in eo positam arbitror, quod plerumque cognitio atque scientia earum disciplinarum, vel ab his, qui gentibus imperant, vel ab iis, quorum consiliis, aptitudini et auctoritati publicae causae commissae, negligantur. Quid mirum si illotis manibus quis ad negotium accedit, qui ob imperitiam, inscitiamque suam facile errare, atque errando alios laedere, legesque atque iura, quae ignorat, transgredi non modo potest, sed vel adeo debet, cum qualiter iuste agendum sit ignoret. Sicut priuatorum et civium causae haud raro ab imperitissimis ignorantissimisque hominibus corrumpuntur atque pervertuntur; ita facile idem contingeret, si genti a consiliis ii sunt, qui ineptissimi ob neglectam rerum scientiarumque peritiam ad imperandum publicasque causas tractandum. Delectantur haud raro ii, qui se aliquando causis publicis sunt mancipaturi studiis, quae ad voluptatem faciunt, quae aures titilant,



lant, quae risum excitant, quae suauitate sua placent atque non satis curiosorum hominum animos ad se rapiunt. Sit, ut hi accedant ad gubernacula rerum publicarum, sit, ut gentis suae causas tractandas capiant, quid facilius continget, quam, tum quae sit respublica, ignorent, quae sint iustitiae leges a natura ipsa gentibus scriptae, incognitas habeant, quae gentium negotia, imperiorum nexus, principum obligationes nesciant, ut ex ignorantia, imperitia, imprudentia actiones committant gentis suae nomine, quas forsitan nunquam commissent, si rempublicam illiusque systema cognouissent, naturalium legum peritiam habuissent, gentiumque liberarum negotia cognita tenuissent atque imperiorum nexum principumque obligationes sciuisent. Neque negari unquam potest, peruersas illas notiones, quas interdum sibi de gentium iuribus ac obligationibus collegerunt, multum conferre ad iniustas actiones committendas. Nunquam is, qui viam, qua iturus est, haud tenet, rectam ibit, sed in deuia dilaberetur, et si rectum iuerit, id bono genio et sortis beneficio tri-

tribuendum videbitur, non suis meritis suoque morali iudicio, quo corpus ad sic eundem determinatum fuerat. Non aliter comparatum erit cum negotiis liberarum gentium. Quo modo iuste agentii, qui, quae sit iustitia, quid leges praecipiant, quas natura omnibus hominibus adeoque gentibus dedit, ignorant: qui nunquam rectam sibi de gente ideam formare didicerunt, qui, quale inter omnes commune vinculum existat, nunquam cognouere: qui, quae maiestatis, quae subditorum, quae populi iura, obligationes nunquam recte ex solidis fundamentis ipsa natura ac ratione duce apprehenderunt. Et quam felices essent mortales, si non tantum jura illa Naturalia, Gentium atque publica vniuersalia omnium humanarum iurium diuini fontes a quouis recte addiscerentur, sed et ab omnibus agendo omnes illae leges seruariantur. Sapienter itaque a maioribus nostris institutum est, vt in Academiis in quibus animi ad rempublicam regendam gubernandamque parantur, haec ipsa iura tradantur, atque iuuentuti eruditae, quae est vera Patriae Spes explicentur. Fuit illud

Q

lud

Iud quondam consilium Pientissime de-  
 functi Regis AVGVSTI II. qui in  
 hac ipsa Academia nostra Lipsiensi ferre  
 non poterat, vt deesset officium Profes-  
 soris Juris Naturae et Gentium in funda-  
 tione Academiae neglectum. Fundaue-  
 rat ergo primus hoc munus, idque ordi-  
 narium esse volebat, quippe ex hac ipsa  
 doctrina recte hausta utilitas in omnem  
 rempublicam, gentes ac vniuersum prope  
 genus humanum retundare arbitrabatur.  
 Et quid sapientius a tam sapiente Prin-  
 cipe ordinari fundarique potuisset, quo  
 suam Academiam ornasset, quo iuuentuti  
 studiosae magis profuisset, quam hoc ipso  
 munere fundato. Seruauit Clementia  
**OPTIMI PRINCIPIS AVGV-**  
**STI nostri PATRIS PATRIAE**  
**SERENISSIMI** atque cura hoc a Po-  
 tentissimo patre consilium captum, sem-  
 perque voluit, vt publica autoritate diuina  
 haecce iura traderentur, et si, qui aliquan-  
 do ad rempublicam adhibendi, in his  
 ipsis imbuerentur. Morte beati Mascouii  
 vacans officium inter medias belli cala-  
 mitates, inter quas plerumque a iusti na-  
 turalis studio aberratur, per biennium  
 exti-

extitit, donec Clementia POTEN-  
 TISSIMI REGIS praeter ipsam spem  
 inopinata gratia me dignum iudicauit,  
 qui Vos Patriae delicias Generosissimi ac  
 Praenobilissimi Commilitones ex hac ipsa  
 Cathedra leges naturae atque gentium  
 et rerumpublicarum doceam. Et quae  
 fuit causa SERENISSIME AVGV-  
 STE, quare me potius elegeris, Patro-  
 nis ac Maecenatibus, qui meum Tibi  
 commendare poterant quamuis indi-  
 gnum nomen, destitutum? Tantane erit  
 mea scientia, meaque ars, vt huic grauif-  
 simo muneri par sim, vt erudiendam  
 iuuentutem in Diuini nominis gloriam,  
 in patriae emolumentum atque in Acade-  
 miae ornamentum recte erudire queam.  
 Sancte egomet promitto, me, quousque  
 diuina prouidentia vires largiatur, eo al-  
 laboraturum, vt, quod adhuc deest, quo  
 aptior ad tam splendidum munus geren-  
 dum esse possim, meo labore, mea indu-  
 stria ac meo denique studio suppleam.  
 Ad TE ergo Supremum NVMEN  
 mea se conuertit oratio. Tanta tamque  
 innumerabilia sunt illa abs Te in me pro-  
 fecta beneficia, vt vires et verba desint,  
 Q 2 quibus

quibus me, qui totus Tuus suum gratissimum declarare possim. Vix vnquam spes mihi puero erat, fore, vt ad maiora tendere liceret. Duxisti me viam, obtemperavi Tuo nutui; secutus sum, atque non tantum ad maiora me deduxisti; verum honoribus, munere amplissimo, et quod omnia superat diuina Tua gratia, me ornasti auctumque in altiore vitam rationem posuisti. Sit Tibi vniuersi **RECTOR** Sapientissime omnis laus atque gloria, quam nuncupare potest imbecillitas mea. Is qui sum, quae ago quaeque habeo, a Tua pendent prouidentia, gratia atque clementia inexhausta atque penitus ineffabili. Erat actionum omnium mearum vnicus scopus Tua gloria Tuaque laus cum summa animi gratitudine conjuncta. At supplex ego met **TE** rogo, recipe amplius in Tuam tutelam **Potentissimum Serenissimumque Regem ac Principem FRIDERICVM AVGVSTVM** Patriae Patrem Indulgentissimum. Serua eum nobis Pater Optime ad vltima tempora. Serua eum felicem, sospidem imo felicissimum. Depelle hostes sui solii, qui, si possent, ipsi in-

interitum paraturi essent, si Tua id prouidentia pateretur. Redde ipsi suppressae Patriæ, omnibus ciuibus et vniuersae terrae pacem, vt placidissimo atque lenissimo imperio Regis nostri AVGVSTI Iustissimi quam diutissime frui queamus. Redde et Omnipotens Pater nobis Regem nostrum Saxonum fidorum delicias, redue eundem ad nostras terras tutum atque felicem. Serua nobis Serenissimum atque Celsissimum Saxoniae heredem maioribus parem FRIDERICVM CHRISTIANVM cum Principissa Coniuge ac Celsissima progenie spe omni ciuium atque subditorum. Fac, vt quam diutissime post sera tempora felices reddat Saxoniae incolas, ad quod Tu eum nasci voluisti. Tua gratia tueatur reliquam regiam prolem. Et quid de patria dicam, quam Tu fortis DEVS inter tot calamitates, deuastationes, incendia ruinas, hostium minitationes, rapinas et ingentem numerum malorum tamen adhuc conseruasti, neque, vt ex sua intentione agerent, vnquam permisisti, hanc tua amplius dignare tutela. Tu nobis vnicum esto praesidium, tu nostra muni-

Q 3

men-

menta ac fortalitia, Tu nobis es foedere iunctus fidissimus, fortissimus, potentissimus et vinci nescius. Tibi nos committimus. Et non patriam tantum, sed hanc Academiam Musarum sedem celeberrimam Tuæ tutelæ commendo, serua nobis splendorem et gloriam, qua alias suas sorores superavit et adhuc superat. Felix imo felicissima erit, si paterno tuo praesidio eandem complecti clementissime velis. Ne patiaris hoc Saxoniae et omnis prope orbis eruditi egregium et maxime pretiosum ornamentum supprimi suaque gloria atque splendore spoliari. Me vero, vt in Tuam gratiam recipias, supplex precor. Da vires Omnipotens Numen, quo quod ex Tua prouidentia, quae cuncta gubernat, iam gero munus, maxime in Tui nominis gloriam et patriae vtilitatem, nec non illorum commodum, qui mea vsuri sunt institutione, administrare eidemque satisfacere queam. Fac, vt quae a me agantur, Tibi placeant. Imple me ea sapientia, cuius TV viuis fons es, et ita totum me Tibi committo,

At

At expleto hoc pietatis officio, aliud succedit, cui satisfaciendo me vix parem sentio. Tanta fuit **RECTOR ACADEMIAE MAGNIFICE, COMITES ILLVSTRISSIMI, PATRES ILLVSTRES, MAGNIFICI, SVMME VENERABILES, CONSVLTISSIMI, EXPERIENTISSIMI, AMPLISSIMI, VESTRA** humanitas in me audiendo, et benignitas in ferenda mea imbecillitate, vt verba desint, quibus obstrictissimum meum animum **VOBIS** declarare queam. Deuinctum, imo deuinctissimum me **VOBIS** declaro. Operam dabo, vt quantum in me est, nihil committam, quo **VESTRA** beniuolentia indignus videri possim. Praecipue qui maior mihi honos contingere potuisset honorifica **TVA Praesentia, MAGNIFICE RECTOR ACADEMIAE.** Numerabo hoc inter beneficia, quae ad perpetuas gratias obligant, quas cum referre non possim, maximas interim agam, vt vero in posterum ea beniuolentia **TVA** me ornare meque commendatum habere ve-

Q 4

lis



lis omni qua decet obseruantia rogo. VOS vero ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS SOCII GRAVISSIMI et CONSVLTISSIMI qua animi deuotione alloqui debeam, vox faucibus haeret. Tanta tamque egregia atque singularia beneficia sunt, quibus a VESTRA beneficentia semper me ornatum vidi, vt, nisi temerarium esset, Alexandri exemplo superbire, VOBIS VESTRAE gratiae VESTRAEque beneuolentiae plus debeam, quam ipsis parentibus. Neque enim sufficiebat, aliquando VESTRA institutione sapientissima imbutum fuisse, verum tanta VESTRA erat gratia, vt summis me honoribus in vtroque iure condecoratum regiae Clementiae commendaretis, quo facto extra ordinem ius docendi in hac Academia impetrabam. Postea haec ipsa VESTRA iterata commendatio, quae me dignum iudicabatis Augustissimam mihi conciliauit gratiam, qua amplissimo munere, quod auspicio, ornabar. Quare haec summa VESTRA beneficia gratissimo agnosco animo, sancteque promitto, semper me allaboraturum, vt

vt

vt non tantum gratitudinis, reuerentiæ atque pietatis iura fancte adimpleam, verum etiam haec mihi laborum meorum omnisque vitae meae erit ratio, vt nihil suscipiam vnquam, quo, qui semper VOBIS commendatus esse cupio, VESTRA benignitate, gratia VESTROque Patrocinio indignus videar.

Neque minores gratias VOBIS, VIRI SUMME REVERENDI, CONSULTISSIMI, EXPERIENTISSIMI, AMPLISSIMI, ago atque habeo, qui praesentia VESTRA honorifica atque gratiosa hunc actum celebriorem reddere non dedignati estis. Promitto nunquam me gratitudinis obsequii reuerentiaeque officia neglecturum, potius ad ea adimplenda me semper paratissimum futurum.

Tandem ad VOS, GENEROSISSIMI et PRAENOBILISSIMI COMMILITONES, Academiae Ciues, Patriae Spes, nostrae Deliciae, mea conuertit se oratio. Iura quae diuina prouidentia rectæ rationi indidit VOBIS explicanda erunt, in quo versabitur omnis meus labor. Et quid magis ego optarem,

rem, quam eum amorem eumque fauorem, quo hactenus me et publice, et priuatim docentem profecuti fuistis, sanctissimum mihi seruare pignus. Dabo ego operam, vt, quod semper optaui, **VOBIS** mea placeat institutio. Promitto itaque, has primas meas fore cogitationes, curas atque demum sollicitudines, vt in **VOBIS** erudiendis ita verfer, quo **VESTRA** salus, **VESTRA** utilitas, **VESTRA** commoda, omnis meae doctrinae, scientiae atque omnium denique studiorum sit praecipuum punctum. **VOS** itaque rogo, atque oro, vt frequentia **VESTRA** labores meos in posterum ornetis., Seruate fauorem **VESTRVM**, mihi exoptatissimum. Fruimini meis qualibuscunque scientiis, quae **VESTRA** semper **VOBIS**que sacra erunt. Ita opto, ita **VOS** rogo.

**D I X I.**















